



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Tractatvs Sextvs. De peccato habituali, tum personali, tum originali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

pa mortalis: sed pœna æterna reddens hominem miserum non potest poni ad reordinandum peccatum veniale; ergo &c.

38. Ad 6. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem: Deus minatur pœnam, vt culpam per charitatem odio habeamus tantum ex odio pœnæ, nego maiorem; vt culpam odio habeamus etiam ex odio pœnæ, concedo maiorem: & distinguo minorem; propter quod tantum vnumquodque tale, & illud magis, concedo minorem; propter quod, sed non tantum, nego minorem, & nego consequentiam. Deus minatur pœnam, vt ex charitate odio habeamus peccatum, non solum quia est culpa contemptiua Dei summæ dilecti, sed etiam quia trahit pœnam, qua Deus priuatur bono nostræ salutis, ex quo summè glorificatur: & quia magis Deo opponitur malum culpæ, quàm malum pœnæ, ideò Deus minatur pœnam, vt ex charitate ita odio habeamus peccatum propter malum culpæ, & malum pœnæ, vt magis odio habeamus propter malum culpæ, quàm propter malum pœnæ. Iam cum vnum amatur, vel odio habetur, non tantum propter aliud, sed etiam propter se, potest magis amari, vel odio haberi, quàm illud: ex gratia possum ego odisse damnationem etiam ne meus amicus doleat de mea damnatione, nec ex hoc sequitur, quod magis odio habeam dolorem amici, quàm meam damnationem: ergo neque ex eo, quod ex charitate odio habeamus culpam etiam ex odio pœnæ, sequitur, quod magis odio habeamus pœnam, quàm culpam.

39. Pro maiori explicatione malitiæ peccati mortalis, debet aduerti, quod in peccato mortali considerari potest triplex malitia. Prima, & primaria consistit in hoc, vt sit malum Dei. Dicitur autem peccatum esse malum Dei, primò quia includit offensam, & contemptum infinitæ bonitatis diuinæ: secundò quia licet non priuet Deum vilo bono intrinseco, tamen priuat illum multis bonis extrinsecis, puta debito amore, debita amicitia, & glorificatione. Secunda malitia peccati est, vt sit malum vniuersi. Est autem malum vniuersi, in quantum priuat vniuersum bono debiti ordinis. Sicut enim præcipuum bonum exercitus consistit in hoc, vt seruetur ordo præscriptus ab Imperatore ad hoc, vt exercitus benè se habeat, ideoque qui transgreditur talem ordinem, facit contra bonum exercitus; sic præcipuum bonum vniuersi consistit in hoc, vt seruetur ordo à Deo præscriptus, ad hoc, vt vniuersum benè se habeat, ideoque qui transgreditur diuina præcepta, facit contra bonum vniuersi. Tertia malitia peccati consistit in hoc, vt sit malum peccantis. Est autem malum peccantis, primò quia constituit peccantem malum, auersum à suo vltimo fine, & inimicum Dei; secundò quia meretur peccanti æternam miseriam, priuationem diuinæ amicitie, ac vitæ æternæ.

TRACTATUS VI

De peccato habituali, tum personali, tum originali.

QVAESTIO XXXV.

Vtrum peccatum actuale, postquam physicè transiit, moraliter perseueret per aliquid ab ipso distinctum.

1. **P**RIMO videtur non perseuerare moraliter. Alia enim actiones, postquam physicè transierunt, non perseuerant moraliter; ergo etiam actiones peccaminosæ, postquam physicè transierunt, non perseuerant moraliter.

2. Secundò videtur perseuerantia moralis peccati nihil addere distinctum realiter à peccato actuali præterito. Perseuerantia enim moralis peccati consistit in hoc, quod transiit actus peccati, qui peccauit, remaneat moraliter malus, Deo odibilis, & dignus pœna: sed qui peccauit, remanet moraliter malus Deo odibilis, & dignus pœna per hoc præteritum quod peccauit; ergo perseuerantia moralis peccati nihil addit supra peccatum præteritum seu supra hoc, quod est peccasse.

3. Respondeo, non solum fide constat, sed etiam lumine naturali est euidens, peccatum postquam physicè transiit, moraliter perseuerare. Probatur primò: nam perseuerantia moralis peccati consistit in hoc, quod qui peccauit etiam postquam desistit ab actu peccandi, remaneat peccator, malus, immundus, deformis, Deo odibilis, pœna dignus, perinde ac dum actu peccat; sed qui peccat, etiam postquam desistit ab actu peccandi, remanet malus, peccator, immundus, deformis, Deo odibilis, ac pœna dignus, perinde ac dum actu peccabat: ex. gr. qui commisit homicidium remanet homicida, & dignus pœna mortis ergo &c.

4. Probatur secundò: nam actiones, quibus homo se ipsum vulnerat, mutilat, occidit remanent moraliter, & æquiualeter etiam postquam physicè transierunt, ideoque qui se ipsum vulnerauit, mutilauit, vel occidit, etiam postquam ab illa actione cessauit, remanet vulneratus, mutilatus, mortuus; sed peccatum consistit in actionibus, quibus homo se ipsum facit malum, & lethaliter vulnerat, & occidit animam suam; ergo postquam quis cessauit à actionibus peccaminosis, remanet malus, peccator, & spiritualiter mortuus.

5. Dicendum secundò: perseuerantia moralis peccati addit aliquid realiter distinctum supra

supra peccatum præteritum, seu supra hoc, quod est peccasse.

6. Probatur; nam potest verificari, quod quis peccauerit, absque eo, quod verificetur, quod perseveret moraliter in peccato commisso: ex. gr. de Sancto Petro verificatur, quod negauerit Christum, & non verificatur, quod perseveret moraliter in peccato negandi Christum; sed si idem omnino esset peccasse, ac perseverare moraliter in peccato, non posset vnum verificari sine alio, & consequenter omnia peccata essent irremissibilia; ergo non est idem omnino peccasse, ac perseverare moraliter in peccato, ac proinde hoc, quod est perseverare moraliter in peccato, aliquid addit distinctum supra hoc, quod est, peccasse.

7. Addo, quod sicut perseverare moraliter in peccato personali addit aliquid supra hoc, quod est, peccasse personaliter, sic perseverare moraliter in peccato originali addit aliquid supra hoc, quod est, peccasse originaliter. Patet: nam de omnibus verificatur, quod in Adamo peccauimus, iuxta illud Apostoli ad Rom. 5, in quo omnes peccauerunt; sed de baptizatis non verificatur, quod perseverent in peccato originali, quod in Adamo commiserunt; ergo hoc, quod est, perseverare in peccato originali addit aliquid supra hoc, quod est peccasse in Adamo.

8. Ad 1. nego antecedens, & retorqueo argumentum. Nam sicut plures aliæ actiones postquam physicè transferunt, remanent moraliter, & æquivalenter in suo effectu, sic actiones peccaminosæ postquam physicè transferunt, remanent moraliter in aliquo suo effectu, quo homo constituitur malus, peccator, Deo odibilis &c.

9. Ad 2. concedo maiorem, & nego minorem. Nam qui peccauit est indifferens ad hoc, vt transacto peccato, remaneat moraliter malus, & peccator, eo quod non obtinuerit remissionem peccati, ac proinde hoc, quod est perseverare in peccato addit aliquid supra hoc, quod est peccasse.

QVÆSTIO XXXVI.

Virum peccatum habituale, tum personale, tum originale consistat formaliter in priuatione culpabili debitæ bonitatis, & aptitudinis ad vltimum finem.

S. Thom. 1.2. quæst. 86. art. 1. & 2.

1. Videtur, quod non: primò quia peccatum habituale non consistit formaliter in eo, quod est pœna peccati actualis; sed priuatio debitæ aptitudinis ad finem vltimum est pœna peccati actualis: nam ideo Deus peccatorem priuat debitam bonitatem, & debitam aptitudinem ad suum vltimum finem, quia peccauit; ergo &c.

2. Secundò peccatum habituale non consistit in eo, quod est à Deo volitum; sed Deus

vult, vt qui peccauit, careat debita aptitudine ad suum vltimum finem; ergo &c.

3. Tertio peccata habitualia multiplicantur specie, & numero etiam in eodem subiecto: ex. gr. peccatum habituale furti differt specie à peccato habituali homicidij; sed priuationes bonitatis debitæ, & debitæ aptitudinis ad vltimum finem, non multiplicantur specie, neque numero in eodem subiecto; ergo &c. Probatur minor; nam posita vna priuatione alicuius formæ, non ponitur in eodem subiecto alia priuatio eiusdem formæ; ex. gr. posito, quod oculus sit cæcus vna cæcitate, & vna priuatione visus, non fit cæcus alia cæcitate, & alia priuatione visus; ergo posita in eodem homine vna priuatione debitæ bonitatis, & debitæ aptitudinis ad vltimum finem, non ponitur alia priuatio eiusdem debitæ bonitatis, & aptitudinis ad vltimum finem.

4. Quarto vnum peccatum habituale est peius alio, ex. gr. peccatum homicidij est maius peccato furti; sed vna priuatio eiusdem formæ non est peior alia; ergo non omnia peccata mortalia habitualia possunt consistere in priuatione eiusdem bonitatis, & aptitudinis ad vltimum finem.

5. Quintò si quodlibet peccatum mortale consisteret in priuatione debitæ aptitudinis ad finem, etiam peccatum originale, quod est mortale, consisteret in tali priuatione; sed hoc est falsum; ergo &c. Probatur minor: nam sequeretur, quod Deus, dum in generatione hominis creat animam rationalem, eamque infundit corpori, esset causa peccati originalis, in anima; quod est absurdum. Probatur sequela; nam Deus creat animam priuatam debita aptitudine ad finem; sed nulla alia causa potest assignari talis priuationis, nisi Deus, qui animam creat; ergo &c.

6. Sextò peccatum veniale habituale non consistit in priuatione debitæ aptitudinis ad finem siquidem peccatum veniale potest coniungi cum tali aptitudine; neque consistit in alia priuatione; ergo neque peccatum mortale habituale consistit formaliter in priuatione.

7. Septimò non potest explicari, vtrum hæc priuatio sit pura priuatio, an potius identificetur cum aliquo positiuo; ergo &c.

8. Respondeo, quod cum ostenderimus peccatum habituale mortale addere aliquid supra peccatum actuale, sequitur, vt explicemus, quid addat; & quia plures sunt sententiæ, primò explicabimus veram sententiam, deinde proponemus, & iudicium feremus de alijs opinionibus.

9. Dicendum igitur; peccatum mortale habituale tum personale, tum originale consistit formaliter in priuatione culpabili ex se perpetua debitæ bonitatis, & debitæ aptitudinis ad vltimum finem naturæ rationalis.

10. Probatur; nam peccatum mortale habituale consistit formaliter in eo, per quod peccatum mortale actuale, postquam physicè transijt,

Q

transijt,

transiit, perseverat moraliter, & æquivalenter; sed peccatum mortale actuale postquam physicè transiit, perseverat moraliter, & æquivalenter per privationem culpabilem ex se perpetuam debitæ bonitatis, & debitæ aptitudinis ad ultimum finem naturæ rationalis; ergo peccatum mortale habituale consistit formaliter in tali privatione. Probatur minor: peccatum enim mortale actuale est actus liber, quo homo, vel Angelus facit se ipsum simpliciter malum, & aversum à Deo ultimo fine naturæ rationalis; ergo perseverat moraliter, & æquivalenter per illud, per quod qui peccat, etiam transacto peccato actuale, remanet simpliciter malus, & aversus à Deo ultimo fine; sed qui peccavit, remanet permanentemente malus per privationem à peccato actuale relictam debitæ bonitatis, & debitæ aptitudinis ad suum ultimum finem; ergo qui peccavit, perseverat moraliter malus per talem privationem. Probatur assumptum: nam unumquodque est simpliciter malum per privationem debitæ bonitatis, & debitæ aptitudinis ad finem: ex gr. quia finis domus est habitatio, domus inepta ad hoc, ut habitetur, est mala; quia finis calcei est calceatio, calceus ineptus ad calceandum est malus; ergo etiam homo, vel Angelus constituitur simpliciter malus per privationem debitæ aptitudinis ad ultimum finem naturæ rationalis, qui est beatitudo, ac proinde peccatum mortale actuale moraliter perseverat per talem privationem, in eaque formaliter consistit.

11. Confirmatur: nam actio, per quam aliquis se ipsum excaecat, perseverat moraliter in cæcitate, siue in privatione visus: actio, qua quis se vulnerat, vel occidit, perseverat moraliter in vulnere, vel in morte; sed peccatum mortale actuale est actio, vel omisso libera, qua homo se ipsum facit malum, & ineptum ad suum ultimum finem; ergo perseverat moraliter in privatione remanente ex se perpetua à debitæ aptitudinis ad suum ultimum finem, consequendum, per quam privationem constituitur simpliciter malus, & ineptus ad suum ultimum finem.

12. Breuiter: peccatum mortale actuale est actio libera, qua homo, vel Angelus facit se ipsum simpliciter malum, & ineptum ad suum ultimum finem; ergo peccatum habituale consistit in eo, per quod, transacto peccato actuale, homo, vel Angelus remanet simpliciter malus, & ineptus ad suum ultimum finem; sed remanet simpliciter malus per privationem ex se perpetuam à peccato actuale inductam debitæ bonitatis, & debitæ aptitudinis ad suum ultimum finem; ergo peccatum habituale consistit formaliter in tali privatione.

13. Sed quia privatio non potest intelligi, nisi per formam oppositam, quæres primò, quid sit aptitudo naturæ rationalis ad suum ultimum finem, in cuius aptitudinis privatione consistit peccatum habituale?

14. Respondeo, quod aptitudo naturæ rationalis ad suum ultimum finem supernaturalem consistit in gratia sanctificante, quæ est qualitas supernaturalis. Proportionaliter aptitudo ad ultimum finem naturalem consistit in qualitate aliqua naturali distincta ab ipsa natura rationali. Probatur: nam natura rationalis est inoffensa ad hoc, ut sit apta, & inepta ad suum ultimum finem naturalem; ergo talis aptitudo addit aliquid distinctum naturæ rationali; sed hoc, quod addit, cum ipsa bonitas, qua natura rationalis constituitur simpliciter bona, non potest esse aliquid purè negativum, vel extrinsecum naturæ; ergo debet consistere in aliquo positivo intrinseco naturæ, ac proinde in aliqua qualitate.

15. Confirmatur: nam sicut aliæ naturæ constituntur bonæ in suo genere per qualitates superadditas intrinsecas: e.g. Sol constituitur bonus, & aptus ad suum finem illuminandum mundum, per qualitatem intrinsecam, & superadditam lucis sensibilis; sic natura rationalis constituitur simpliciter bona, & apta ad suum finem naturalem per aliquam qualitatem intrinsecam, quasi per lucem spirituales. Rursus sicut Sol per privationem permanentem lucis sensibilis constitueretur tenebrosus, & malus in genere Solis; sic natura rationalis per privationem permanentem huius qualitatis spiritualis constituitur permanentemente malus, & peccatrix in genere naturæ rationalis.

16. Dices: natura intelligitur bona, & apta ad suum finem naturalem per hoc prædictum, quod careat peccato; ergo bonitas naturæ rationalis debet consistere in qualitate positiva.

17. Respondeo, quod sicut peccatum mortale sua ratione significat defectum, & privationem, sic carentia peccati debet significare aliquid positivum. Confirmatur, nam quia tenebræ significant privationem, ineptè dicitur lucem Solis consistere in pura negatione tenebrarum; ergo à pari.

18. Quæres secundò, vtrum in natura rationali eleuata ad finem supernaturalem simul cum qualitate supernaturali gratiæ, remanet etiam qualitas naturalis, qua est apta ad suum finem naturalem?

19. Respondeo negatiuè. Sicut enim Sol eleuaretur ad lucem quandam supernaturalem continentem eminenter lucem habitabilem naturalem cum incomparabili excessu, non deberet retinere lucem naturalem; sic cum natura rationalis eleuatur ad qualitatem supernaturalem gratiæ, quæ continet eminenter cum incomparabili excessu qualitatem naturalem, qua constitueretur apta ad finem naturalem, non debet retinere qualitatem habitabilem naturalem. Confirmatur, nam sicut finis supernaturalis non coniungitur cum naturali, sic aptitudo ad finem supernaturalem non coniungitur cum aptitudine ad finem naturalem; & sicut in humanitate Christi sub figura Verbi non coniungitur cum propria substantia

stentia, sic aptitudo ad finem supernaturalem non coniungitur cum aptitudine ad finem naturalem.

20. Quæres tertio, vtrum peccatum habituale consistat in priuatione vtriusque qualitatis, & vtriusque aptitudinis, tum ad finem naturalem, tum ad supernaturalem:

21. Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia peccatum habituale est, per quod suppositum naturæ rationalis constituitur simpliciter malum; sed vt sit simpliciter malum debet esse ineptum ad suum finem etiam naturalem; quod enim est aptum ad finem naturalem, eo ipso est simpliciter non malum, sed bonum; ergo &c.

22. Confirmatur, nam si fingamus Solem ita priuari luce supernaturali, vt remaneat cum luce naturali, & cum aptitudine ad suum finem naturalem illuminandi, non erit simpliciter malus, turpis, & deformis; ergo à pari. Hinc rejicitur sententia eorum, qui dixerunt paruulos morientes sine baptismo, ac proinde cum peccato originali, fructuros beatitudine naturali. Nam paruuli cum peccato originali sunt simpliciter mali; ergo sunt inepti ad suum finem naturalem, ad beatitudinem nimirum naturalem.

23. Quæres quarto, an vna, & eadem priuatio excludat vtramque qualitatem, & aptitudinem, tum ad finem naturalem, tum ad supernaturalem?

24. Respondeo affirmatiuè. Sicut enim tenebræ excludunt à subiecto tenebroso omnem lucem, tum naturalem, tum supernaturalem, sic peccatum excludit omnem aptitudinem ad finem, tum naturalem, tum supernaturalem. Ratio est, quia sicuti tenebræ excludunt lucem sub ratione communi lucis, siue sit naturalis, siue supernaturalis; sic peccatum excludit aptitudinem ad finem sub ratione communi, seu sit naturalis, seu supernaturalis. Hinc sequitur, quod sicuti aer carens sola luce supernaturali, non esset simpliciter tenebrosus, sic homo carens sola aptitudine ad finem supernaturalem, non esset simpliciter malus.

25. Quæres quinto, quo pacto priuatio debet bonitatis, siue aptitudinis ad vltimum finem inducatur in naturam rationalem à peccato mortali actuali?

26. Respondeo, quod peccatum mortale aduale est actio, qua peccans occidit animam suam moraliter, & facit se ipsum simpliciter malum; ergo sicut actio, qua homo occiditur physicè, relinquit in corpore priuationem ex se perpetuam vitæ physicæ, idest vnionis cum anima, sic actio, qua quis occidit moraliter animam suam, relinquit priuationem ex se perpetuam vitæ moralis, & aptitudinis ad vltimum finem, per quam priuationem anima hominis peccantis mortaliter remanet mortua, & mala.

27. Confirmatur, nam sicut vita oculi est aptitudo ad videndum, ac proinde oculus cæ-

cus, & ineptus ad videndum, est oculus mortuus; sic vita animæ est aptitudo ad suum vltimum finem, ac proinde anima inepta ad consequendum suum vltimum finem est anima moraliter mortua; ergo sicut actio excæcatoria oculi relinquit in oculo priuationem aptitudinis ad videndum, quæ aptitudo est vitæ oculi; sic actio mortaliter peccaminosa relinquit in anima priuationem aptitudinis ad suum finem, quæ aptitudo est vitæ moralis animæ.

28. Quæres sexto, vtrum quodlibet peccatum mortale relinquat proportionalem priuationem, & peccatum maius relinquat priuationem peiorem?

29. Respondeo affirmatiuè. Cum enim per nouum peccatum mortale anima moraliter de nouo moriatur, & fiat peior, quodlibet peccatum debet relinquere nouam priuationem aptitudinis ad finem. Rursus cum per maius peccatum peccans fiat peior, peccatum maius relinquit priuationem peiorem. Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 86. art. 1. ad 3. explicat hoc ipsum exemplo vmbre. Nam sicut vmbra est priuatio lucis causata à corpore, sic peccatum mortale habituale est priuatio debite bonitatis causata à peccato actuali; ergo sicut vmbre diuersificantur pro diuersitate corporum, à quibus causantur, sic peccata habitualia diuersificantur pro diuersitate peccatorum actualium, à quibus causantur.

30. Dices: posita vna priuatione physica, non potest induci noua priuatio physica: ex.gr. posita in aere vna priuatione physica totius lucis, non potest induci alia priuatio physica lucis; ergo posita vna priuatione morali, non potest induci alia.

31. Respondeo, transeat antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia priuatio moralis est priuatio excludens formam, non vtcumque, sed per modum indignitatis; & quia forma potest excludi per plures indignitates, & per maiores, & maiores in infinitum, ideo priuationes morales possunt multiplicari in infinitum.

32. Quæres septimo, quo pacto ex peccato Adami sequatur in ijs, qui ex Adamo generantur, priuatio, in qua consistit peccatum originale?

33. Respondeo, quod in Adamo tanquam in capite moraliter fuit tota natura humana, naturali generatione ex ipso propaganda, ac proinde peccante Adamo, peccauit in eo tota natura, iuxta illud Apostoli ad Romanos 5. *Omnes in Adam peccauerunt*; ergo Adam peccando non solum se ipsum, sed totam naturam priuauit aptitudine ad finem vltimum, & constituit malam, ac proinde omnes ex Adam nascituri per naturalem generationem, contraxerunt debitum, vt nascerentur mali, & priuati aptitudine ad finem; ergo cum generantur, ipsa carnalis generatio per concupiscentiam, & semen infectum habet vim generandæ illos priuatos debita aptitudine ad finem, in qua priuatione consistit peccatum originale;

34. Confirmatur; nam aliquando pater potest ita insanire, ut vitiatum semine, determinetur ad generandos filios insanos; ergo Adam per peccatum potuit ita fieri malus, ut vitiatum semine, determinaretur ad generandos filios, qui in ipso peccauerunt, priuatos debita aptitudine ad finem, adeoque malos, & peccatores.

35. Dices; anima rationalis non procedit ab Adamo per carnalem generationem, sed creatur à Deo; ergo generatio carnalis per semen infectum non potest habere vim priuationis animam aptitudine ad finem, in qua priuatione consistit peccatum originale.

36. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam, ac dico, quod licet anima rationalis non generetur, sed creatur à Deo, tamen creatur ad exigentiam generationis, qua generatur corpus, & creatur accidentaliter talis, qualis exigitur à corpore, & à generante; sed corpus infectum concupiscentia exigit, ut anima creetur ita, ut non detur illi aptitudo ad finem; ergo &c.

37. Confirmatur; nam generans licet non generet animam, tamen vnit illam corpori, & vniendo impedit, ne anima habeat propriam subsistentiam; ergo proportionaliter generans dum vnit animam corpori infecto concupiscentia, potest impedire, ne anima habeat aptitudinem ad finem, & sic causare priuationem aptitudinis ad finem.

38. Quæres octauo, utrum priuatio debita aptitudinis ad vltimum finem naturæ rationalis sit verè, & propriè peccatum?

39. Respondeo affirmatiuè, ut ex doctrina Tridentini probabitur quæst. 37. Ratio est, quia id, per quod homo constituitur culpabiliter malus, & ineptus ad suum finem, est verè, & propriè peccatum; sed homo per talem priuationem culpabiliter constituitur malus, & ineptus ad vltimum finem naturæ rationalis; ergo &c.

40. Quæritur nono, utrum talis priuatio sit peccatum per se ipsam præcisè, an potius in quantum includit peccatum actuale præteritum?

41. Respondeo, quod est propriè peccatum, in quantum includit peccatum actuale præteritum. Ratio est, quia peccatum ex sua ratione debet esse voluntarium, & liberum; ergo talis priuatio est peccatum, in quantum est voluntaria, & libera; sed in quantum est voluntaria, & libera, includit peccatum actuale præteritum, à quo voluntariè, & liberè inducta est talis priuatio; ergo in quantum est peccatum, includit peccatum actuale præteritum. Sicut ergo si quærat, utrum Petrus, prout distinguitur à sua vocatione, sit hic, respondendum est affirmatiuè; si verò quæratur vltèrius, utrum Petrus sit hic per se ipsum præcisè, an potius in quantum includit vocationem, dicendum, quod est hic in quantum includit vocationem, qua formaliter est hic; sic dum quæritur, utrum priuatio debita aptitudinis ad finem, in quantum distinguitur

à peccato actuale præterito, sit peccatum, respondendum est affirmatiuè; dum verò quæritur, utrum talis priuatio sit peccatum per se ipsam præcisè, an in quantum includit peccatum actuale præteritum, dicendum, quod est propriè peccatum, in quantum includit peccatum actuale præteritum.

42. Quæritur decimo, utrum, & quomodo sit peccatum habituale tum personale, tum originale sit reatus culpæ, sit macula, & labe sit pollutio, sit immunditia, & sit auersio à Deo?

43. Respondeo, quod primò peccatum habituale dicitur reatus culpæ. Reatus enim culpæ est id, per quod qui peccauit mortaliter remanet malus, & propter illam malitiam reus diuinæ inimicitiae, & odij diuini; sed per hoc quod qui peccauit, careat debita aptitudine ad finem, remanet malus, & propter illam malitiam reus diuinæ inimicitiae, & odij diuini; ergo priuatio, in qua consistit peccatum, est reatus culpæ. Secundò dicitur macula, & labe animæ. Sicut enim corpus, quod debet habere quandam candorem, & fulgorem, careat debito fulgore, & candore, maculatur sic anima, cui debetur candor, & fulgor gratiæ, & aptitudinis ad finem, si careat gratiæ, & aptitudine ad finem, per hanc carentiam maculatur. Tertio dicitur pollutio, & immunditia. Sicut enim corpus, per hoc, quod videnti reddatur abominabile, dicitur pollutum, & fieri immundum, sic natura rationalis per priuationem aptitudinis ad finem redditur Deo videnti abominabilis, ideoque pollutur, & fit immunda. Quarto demum dicitur auersio à Deo. Nam sicut natura rationalis per hoc, quod sit apta ad vltimum finem, constituitur conuersa ad suum vltimum finem, hoc est Deum, sic per hoc, quod careat tali aptitudine, & conuersione ad vltimum finem, redditur auersa ab vltimo fine, hoc est à Deo.

44. Dices; peccatum habituale consistit in dignitate, qua anima propter peccatum præteritum, quod amplius non existit, est digna ut Deus non det illi gratiam, & aptitudinem ad finem; sed hæc dignitas intelligitur prius natura, quam priuatio gratiæ, & aptitudinis ad finem; ergo peccatum habituale consistit in aliquo, quod est prius natura, quam priuatio gratiæ, siue aptitudinis ad finem, ac proinde non consistit in ipsa priuatione aptitudinis ad finem.

45. Respondeo, distingo maiorem; peccatum habituale radicaliter, & fundamentaliter consistit in dignitate illa, concedo maiorem formaliter, nego maiorem; concedo minorem; & distingo eodem modo consequens. Peccatum habituale formaliter non consistit in eo, quo posito, adhuc anima est indifferens ut remaneat mala, & peccatrix, vel non remaneat mala; sed posita dignitate illa, qua anima, quia peccauit, est digna, ut Deus non get illi gratiam, & aptitudinem ad vltimum finem, anima est indifferens ad hoc, ut remaneat, vel non remaneat mala, & peccatrix.

nam

nam si Deus, non obstante illa dignitate carendi aptitudine ad ultimum finem, det animæ gratiam, & aptitudinem ad ultimum finem, anima non remanet mala, & peccatrix, sed fit bona, & iusta; si Deus non det talem aptitudinem, anima remanet mala, & peccatrix; ergo peccatum habituale formaliter consistit in priuatione aptitudinis ad finem, in dignitate autem talis priuationis præcedente natura ipsam priuationem consistit solum fundamentaliter.

46. Si verò quærat, quid sit hæc dignitas carendi aptitudine ad finem, in qua dignitate peccatum habituale consistit solum fundamentaliter, dico, quod in instanti, in quo aliquis peccat actualiter, ipsum peccatum actuale est dignitas, ut peccans immediatè post, & per totam æternitatem careat aptitudine ad finem, & remaneat habitualiter malus, & peccator; in secundo instanti, vel momento immediatè sequenti peccatum actuale, per ipsum peccatum præteritum anima est digna carere aptitudine ad finem, & sic est mala fundamentaliter, est autem mala formaliter, per priuationem aptitudinis; in tertio momento est digna carere aptitudine ad finem per hoc, quod peccarit, & in secundo momento perseverarit moraliter in peccato per priuationem aptitudinis ad finem, constituitur autem peccatrix per hoc, quod etiam in tertio momento careat aptitudine ad finem. Idem dic proportionaliter de alijs momentis consequentibus. Confirmatur exemplo physico. Nam aliud est, quod Angelus ex gr. nunc formaliter duret, aliud, quod exigat durare. Nam exigit durare per hoc, quod immediatè ante durarit; at formaliter durat nunc per ipsam durationem datam illi, quia immediatè ante duravit. Et quidem potest verificari, quod Angelus nunc exigat durare, & tamen non duret. Si enim Deus contra exigentiam Angeli ad durandum nunc, destruat Angelum, Angelus exiget durare, & tamen non durabit nunc, Deo nolente satisfacere huic exigentiæ. Proportionaliter aliud est, quod homo sit dignus hic, & nunc remanere peccator, aliud quod remaneat nunc peccator. Nam homo est dignus remanere peccator per hoc, quod immediatè ante fuerit peccator, hoc est priuatus aptitudine ad finem; at remanet formaliter peccator per hoc, quod nunc remaneat priuatus aptitudine ad finem.

47. Quæritur undecimo, & ultimo, quo pacto reatus culpæ distinguatur à reatu poenæ, & sit ab illo separabilis?

48. Respondeo, quod reatus culpæ consistit in hoc, ut qui peccavit, remaneat malus, turpis, & à Deo auersus, per priuationem aptitudinis ad finem; reatus poenæ consistit in hoc, ut qui peccavit, remaneat debitor luendæ poenæ; sed hæc duo distinguuntur cum aliqua separabilitate, siquidem potest auferri totus reatus culpæ consistens in priuatione

aptitudinis ad finem, & remanere obligatio ad poenam, vel ad partem poenæ; potest enim Deus illi, qui peccavit, & propter peccatum commissum deberet remanere malus, & incipere ad finem, dare gratiam, & aptitudinem ad finem, & tamen non remittere debitum totius poenæ, eo pacto, quo Deus infantibus in baptismo remittit culpam, & tamen non remittit debitum luendæ poenæ mortis, & alias poenas temporales; ergo &c. Si verò quærat, in quò consistat reatus poenæ, Respondetur consistere in hoc, ut quis peccando meritus poenam fuerit, & illam non luerit, neque pro ipsa satisfecerit, aut eius remissionem obtinuerit. Et quia potest contingere, ut licet aliquis post peccatum recuperaverit aptitudinem ad finem, & sic obtinuerit remissionem culpæ, tamen neque poenam luerit, neque pro poena satisfecerit, aut eius remissionem obtinuerit, potest contingere, ut ablati fuerit reatus culpæ, remanente aliquo reatu poenæ. Porro remisso reatu culpæ mortalis, semper remittitur reatus poenæ æternæ, nec potest non remitti, ut suo loco ex professo probabitur. Ratio est, quia poena æterna, hoc est æterna miseria non potest infligi nisi malo, & inimico Dei; ergo cum remissa est culpa, ac proinde qui peccavit non remanet malus, non potest illi infligi poena æterna. At dimissa culpa, potest non remitti tota poena temporalis, quia hæc potest etiam infligi homini non malo, & non inimico propter bonum totius Reipublicæ. Reatus tamen poenæ æternæ videtur distinguere realiter à reatu culpæ. Nam reatus culpæ consistit in priuatione aptitudinis ad finem; formalis autem reatus poenæ æternæ consistit in hoc, ut qui peccavit, non luerit poenam, nec pro illa satisfecerit, nec eius remissionem obtinuerit, quæ distinguuntur à priuatione aptitudinis ad finem, licet ex hac priuatione sequantur, eo pacto, quo proprietates sequuntur ex essentia.

49. Ad 1. distinguo maiorem; peccatum habituale non consistit formaliter in eo, quod est poena peccati, in quantum est poena peccati, quam homo patitur contra suam voluntatem, concedo; in quantum est aliquid homini voluntarium per denominationem à peccato actuali, nego; distinguo eodem pacto maiorem; & nego consequentiam. Idem secundum eandem rationem non potest esse simul poena, & culpa, seu peccatum, ut optime docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 1. Ratio allata à Sancto Doctore est, quia culpa ex sua ratione debet esse voluntaria, & libera peccanti, poena autem ex sua ratione debet esse inuoluntaria punito; nam qui voluntariè peccat, contra suam voluntatem debet pati poenam; sed idem secundum eandem rationem non potest esse eidem voluntarium, & inuoluntarium; ergo idem secundum eandem rationem non potest esse poena, & culpa. At idem secundum diuersam rationem,

nem, & per denominationem ab vna voluntate præterita, potest esse voluntarium, & sic esse peccatum, & culpa, & secundum aliam rationem, & per denominationem ab alia voluntate præterita, potest esse inuoluntarium, & sic esse pœna; ex. gr. si aliquis voluntariè, & liberè se excæcauerit, ac deinde contra propriam voluntatem remaneat cæcus, eadem cæcitas in quantum est voluntaria, & libera per denominationem à voluntate præterita, habet rationem culpæ, & peccati; in quantum est inuoluntaria per denominationem à voluntate præterita, potest habere rationem pœnæ peccati præteriti, quo se ipsum excæcauit. In casu nostro qui mortaliter peccat, voluntariè, & liberè facit se ipsum simpliciter malum, & ineptum ad vltimum finem; ergo priuatio debitæ aptitudinis ad finem, in quantum per denominationem à peccato actuali, per quod fuit voluntariè, & liberè inducta, est voluntaria, habet rationem culpæ, & peccati habitualis; eadem priuatio, in quantum contra propriam voluntatem à Deo infligitur peccatori, quia peccauit, habet rationem pœnæ; ergo eadem priuatio est pœna simul, & culpa, sed ita, vt per diuersam rationem, & per formam realiter diuersam sit pœna, & culpa; eo pacto, quo lac est formaliter album, & dulce, sed ita, vt per diuersam rationem, & per formam realiter diuersam sit album, & dulce; nam per albedinem est album, per dulcedinem est dulce. Ideo Sanctus Thomas loco citato dicit peccatum per se non posse esse pœnam peccati, per accidens posse. Sicut enim album per se non potest esse dulce, per accidens potest esse dulce, quia album per illam formam, per quam constituitur album, non potest constitui dulce, per aliam formam potest: sic peccatum per se non potest esse pœna peccati, per accidens potest; quia per illam voluntatem, per quam est voluntarium, & peccatum, non potest esse inuoluntarium, & pœna peccati, sed per aliam voluntatem potest.

50. Ad 2. distinguo maiorem; peccatum habituale non consistit in eo, quod est à Deo volitum consequenter, in quantum est volitum consequenter ad peccatum actuale, concedo; in quantum est nolitum antecedenter ad peccatum actuale, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Peccatum ex sua ratione debet esse voluntarium, & liberè volitum à creatura contra antecedentem voluntatem Dei; è conuerso pœna peccati debet esse volita, & inflicta à Deo iudice contra voluntatem creaturæ patientis pœnam. Quia verò eadem priuatio aptitudinis ad vltimum finem per diuersam rationem, & formam est voluntaria creaturæ contra antecedentem voluntatem Dei, & est consequenter voluntaria Deo contra consequentem voluntatem creaturæ; ideo eadem priuatio debitæ aptitudinis ad finem secun-

dum diuersam rationem, & formam est peccatum, & pœna peccati. Explicatur. Deus voluntate antecedenti signi non vult, vt homo peccet, & se ipsum priuat debitam aptitudinem ad finem; homo verò voluntariè, & liberè contra præcedentem voluntatem Dei peccat, & se ipsum priuat aptitudinem ad vltimum finem; ergo talis priuatio sub hac ratione est voluntaria, & libera homini, & contra voluntatem antecedentem Dei, & sic est verè, & propriè peccatum. Deus voluntate consequenti peccatum actuale homini non vult, vt homo in pœnam peccati habitualis prioret aptitudinem ad vltimum finem contra consequentem voluntatem eiusdem hominis, qua postquam peccauit, nollet priuari tali aptitudine, & nollet esse malus; ergo eadem priuatio sub hac ratione est à Deo voluntaria, & libera homini, & sic proprie est pœna peccati actualis præteriti; ac proinde eadem priuatio secundum diuersam rationem, & per diuersam formam, est peccatum, & pœna peccati, est homini voluntaria, & inuoluntaria, est à Deo volita, & volita.

51. Ad 3. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens; posita vna priuatione physica vniuersalis non ponitur in eodem subiecto alia priuatio physica eiusdem formæ, transeat alia priuatio moralis, nego antecedens; & nego consequentiam. Iam dictum est in responsione ad sextum quæsitum, quod eiusdem formæ possunt in eodem subiecto dari plures priuationes morales per modum indigetatis.

52. Ad 4. concedo maiorem, & distinguo minorem; vna priuatio physica eiusdem formæ est peior alia, transeat; vna priuatio moralis nego minorem; & nego consequentiam. Iam dictum est in responsione ad sextum quæsitum priuationem moralem causatam à peccato actuali peiori esse peiorem.

53. Ad 5. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem; si peccatum originale consisteret in priuatione debitæ aptitudinis ad finem, loqueretur, quod Deus esset causa peccati originalis, in quantum culpa est, nego; in quantum pœna est, concedo; & nego consequentiam. Priuatio aptitudinis debitæ ad vltimum finem est peccatum originale habituale, in quantum est voluntaria, & libera per denominationem à peccato actuali Adami, quod fuit moraliter peccatum totius naturæ, hoc est omnium ex Adamo generandorum per carnalem generationem; sed sub hac ratione non causatur à Deo, tanquam à causa per se, sed solum tanquam à causa per accidens, & purè permissiua; ergo peccatum originale in quantum peccatum est, non causatur à Deo per se, sed solum per accidens, & purè permissiue. At non est absurdum, quod eadem priuatio, in quantum est pœna peccati, causetur à Deo, qui consequenter ad

ad peccatum actuale priuati hominem debita aptitudine ad finem priuatione per se causata à peccato Adami per concupiscentiam vitiosam, & semen infectum, vt explicatum est in responsione ad quintum quæsitum num. 25.

54. Ad 6. nego maiorem. In quo consistat peccatum habituale veniale explicabitur infra quæst. 38.

55. Ad 7. nego antecedens, ac dico, quod priuatio debita aptitudinis ad finem se habet proportionaliter, ac tenebræ, cæcitas, surditas, & aliæ priuationes. Si ergo aliæ priuationes identificantur cum aliquo positiuo, etiam priuatio, in qua consistit peccatum habituale, identificatur cum aliquo positiuo: si aliæ priuationes sunt puræ priuationes, cum nullo positiuo identificata, ac sunt entia abusiua, & solùm abusiue causata, etiam priuatio, in qua consistit peccatum habituale, cum nullo positiuo identificatur, & est ens abusiuum, & solùm abusiue causatum.

QVAESTIO XXXVII.

Proponuntur, & examinantur alia sententia de essentia peccati habitualis, tum personalis, tum originalis.

S. Thomas 1. 2. quæst. 86. art. 1. & 2.

1. **P**roposita, & explicata nostra sententia, sequitur, vt examinemus alias opiniones.

2. Circa essentiam igitur peccati habitualis, tum originalis, tum personalis plures fuerunt errores hæreticorum, & opiniones Scholasticorum. Primus error absurdissimus fuit Matthiæ Illyrici, qui, vt refert Bellarminus tomo 4. lib. 5. de amissione gratiæ, & de statu peccati, cap. 1. docuit, quod sicut cum homo moritur, corpus substantialiter mutatur, & loco animæ accipit formam substantialem cadauericam, sic cum Adam peccauit, anima rationalis mutata est substantialiter, & loco imaginis substantialis Dei accepit imaginem substantialem diaboli. Proportionaliter dici potest, quod perseverare habitualiter in peccato mortali personali est loco imaginis Dei habere in anima imaginem substantialem diaboli per peccatum personale inductam.

3. Reijcitur hic error, primò, quia omnes Patres contra Manichæos docent peccatum non esse substantiam, vel essentiam, aut naturam; sed iuxta hunc errorem peccatum originale est forma quædam substantialis; ergo &c. Probatur maior, afferendo testimonia Patrum. Basilius in oratione, quod *Deus non sit author mali*, dicit, *ne imagineris propriam aliquam esse substantiam mali*. Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum; *Crede nullam esse mali essentiam*; Ambrosius lib. 1. Hexameron, cap. 8. *utique non substantialis, sed accidens*

est malitia; Augustinus lib. 7. Confessionum, cap. 12. *malum illud, quod querebam, unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset*. Idem docet pluribus alijs locis.

4. Reijcitur secundo: nam omnes Patres execrantur Manichæos, quod dicerent malum esse substantiam quandam, quam non fecerit Deus, & quod in nobis fons, & origo omnium peccatorum non sit liberum arbitrium, sed aliqua substantia mala non facta à Deo; sed hæc sequuntur ex illo errore: nam malum peccati originalis est substantia, quam non fecit Deus, sed diabolus, & non liberum arbitrium à Deo factum, sed hæc substantia mala in nobis est fons, & origo omnium peccatorum; ergo &c.

5. Reijcitur tertio, nam sequitur hominem prout nunc est constare ex duplici substantia, altera bona, & facta à Deo, altera mala, & facta à diabolo; quod etiam spectat ad errorem Manichæorum. Secundo sequitur, quod anima rationalis per peccatum fuerit substantialiter mutata, & corrupta, quod est contra fidem, & rationem, quæ docet animam rationalem esse substantialiter immortalem, & incorruptibilem. Tertio sequitur animam Adami post peccatum non fuisse substantialiter eandem, quæ peccauerat. Sequuntur alia etiam absurda.

6. Secundus error est quorundam Lutheranorum, qui, vt refert Bellarminus loco citato, docuerunt peccatum originale supra hoc, quod est peccasse in Adamo, addere prauos motus, & prauas omissiones contra legem Dei, quibus nimirum culpabiliter omitimus Deum cognoscere, in Deo sperare, ac potius Deum contemnimus, irascimur in Deum, eumque iudicantem fugimus. Proportionaliter dici potest peccatum personale moraliter perseverare per prauos motus ab actu peccati indefinenter emanantes.

7. Reijcitur: nam infantes cum careant vsu rationis, & fortasse aliquo tempore post primam conceptionem careant etiam vsu sensuum, nullos habent prauos motus, & prauas omissiones contra legem Dei, quam penitus ignorant; ergo si peccatum originale consisteret in his prauis motibus, & omissionibus, non haberent peccatum originale.

8. Respondent aliqui etiam in infantibus dari aliquem vsu rationis, & prauos motus mentis.

9. Sed hoc primo repugnat experientiæ; ideoque Augustinus libro primo de peccatorum meritis, & remissione, capite 35. irridet quosdam Pelagianos, qui in infantibus recentem natis dicebant dari peccata actualia. Secundo repugnat Apostolo, qui ad Romanos nono de Elau, & Iacob in utero matris existentibus dicit: *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*. Confirmatur: nam in adultis dormientibus sæpe nulli sunt motus mentis, imò nec sensus; ergo tunc in

ijs non perseveraret moraliter vllum peccatum, ac proinde non essent peccatores.

10. Tertius error est communis Lutheranorum, & Calvinistarum, qui, vt refert Bellarminus loco citato, docent peccatum originale supra peccatum Adami addere corruptionem naturæ, siue concupiscentiam, ac nomine corruptionis naturæ intelligunt illa, quæ à Catholicis vocantur vulnera naturæ, nimirum ignorantiam, difficultatem ad bonum, propensionem ad malum &c. Addunt hanc concupiscentiam, quæ remanet etiam in baptizatis, & iustificatis, esse verè, & propriè peccatum, licet credentibus non imputetur. Proportionaliter dici posset perseverantiam moralem peccati personalis supra peccatum præteritum addere propensionem ad malum, & alia similia, quæ ex peccato præterito remanent in anima.

11. Reijcitur hic error primò, quia Apostolus ad Romanos 8. dicit; nihil ergo damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu; sed si concupiscentia esset verè, & propriè peccatum, cum in baptizatis, & iustificatis remaneat concupiscentia, remaneret in ijs aliquid damnationis, hoc est aliquid dignum damnatione, siquidem peccatum verum, & proprium est dignum damnatione; ergo &c.

12. Respondent Lutherus, & Calvinus, alijque communiter Apostolum docuisse, quod in renatis nihil remanet damnationis, non quia concupiscentia, quæ remanet, non sit digna damnatione, sed quia Deus in baptismo, & iustificatione remittit reatum concupiscentiæ.

13. Sed contra, nam reatus est ipsa dignitas damnationis; ergo si in baptizatis, & iustificatis remanet dignitas damnationis, remanet etiam reatus, ac proinde falsum est, quod Deus in baptismo, & iustificatione remittat reatum.

14. Confirmatur: nam vt docet Augustinus libro primo de nuptijs, & concupiscentia, capite 26. hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati; ergo si baptizati ita habent concupiscentiam, vt non sint rei peccati, verè, & propriè non habent peccatum, ac proinde concupiscentia non est verè, & propriè peccatum, sed solum impropriè, & figuratè, quia nimirum est causa, & effectus peccati, vt docet Augustinus pluribus locis. Libro enim primo contra duas epistolas Pelagianorum ante medium asserit concupiscentiam dici peccatum, non vtrique, quia peccatum est, sed quia ex peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quod manus eam fecerit; & libro primo de nuptijs, & concupiscentia, capite 23. dicit concupiscentiam vocari peccatum, quia est causa peccati, & ad peccandum impellit, sicut frigus dicitur pigrum, quia facit homines pigros.

15. Reijcitur secundò ex Patribus, qui communiter dicunt concupiscentiam verè,

& propriè non esse peccatum, vt videtur apud Bellarminum lib. 3. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 8. Ideo Tridentina sessione 5. docet Ecclesiam, nunquam intellexisse concupiscentiam peccatum appellari, quæ verè, & propriè peccatum sit, sed quia ex peccato & ad peccandum inclinatur; & concludit, si quæ autem contrarium senserit, anathema sit.

16. Reijcitur tertiò, nam si concupiscentia verè, & propriè peccatum esset, baptismus, cum non liberet à concupiscentia, non liberaret verè, & propriè à peccato; Christus etiam non verè, & propriè Christianos iustificatos in hac vita liberaret à peccato, cum in iustificatis remaneat concupiscentia.

17. Concedunt consequentiam Lutheranam, ac docent per baptismum, & iustificationem peccata verè non tolli, sed solum tegi.

18. Sed contra primò, quia hæc est antiqua hæresis cuiusdam Procli Originis apud Epiphanium hæres. 64. & Messalianorum apud Theodoretum lib. 4. de fabulis hereticorum, & quorundam aliorum, quorum mentionem facit Sanctus Gregorius Magnus lib. 9. epist. 39. ad Theotistam patriciam.

19. Secundò contra est, nam hæc doctrina repugnat Scripturis, quæ asserunt peccata deleri, tolli, & hominem ab ijs mundari. Psalmo 50. dele iniquitatem meam lauabis me, & super nivem dealbabor. Michæ. Aufers iniquitatem; Ioannis 1. Ecce Agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi; ad Ephesios mundans eam lauacro aque in verbo vite; Iohannis si fuerint peccata vestra vt occinum, sicut nix dealbabitur; sed si remanerent tecta, non delerentur, non tollerentur, nec homo ab illis mundaretur; ergo &c.

20. Confirmatur: nam sicut nascendo ex Adamo, verè, & propriè contrahimus peccatum, sic renascendo per baptismum in Christo, verè, & propriè liberamur à peccatis, iuxta illud Apostoli ad Romanos 8. Si per vnus inobedientiam peccatores constituti sumus multi, sic per vnus obedientiam iusti constituamur multi; & iuxta illud Ioannis 8. Si vos filii liberauerit, verè liberi eritis. Ideo Gregorius citata epistola 39. libro 9. disputans contra hunc errorem, inquit: qui dicit peccata in baptismo funditus non dimitti, dicat in mari rubro ægyptios non veraciter mortuos; & Augustinus in Enchiridio cap. 52. Quemadmodum in illa verè mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; & libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum, capite 13. dicimus baptismum dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescunt iterum resuscanda peccata; & Tridentina sessione 5. in decreto de peccato originali docet

docet in baptismo re ipsa tolli id omne, quod habet in homine veram rationem peccati. Videri potest Bellarminus libro 1. de baptismo, capite 13. & lib. 5. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 5. & sequentibus vsque ad 14.

21. Reiectis erroribus hæreticorum, superest, vt examinemus opiniones Catholicorum. Quarta ergo sententia est Magistri in 2. dist. 51. §. 2. & 3. quem sequuti sunt Henricus quodlibet to. 2. quæstione 11. & Gregorius Ariminensis in 2. dist. 30. quæst. 1. & Driedo libro de gratia, & libero arbitrio, & alij, quos referunt Bellarminus loco citato, & Vasquez 1. 2. disp. 132. cap. 4. Docent isti authores in homine per peccatum Adami duas inductas fuisse malas qualitates, alteram in carne, alteram in anima, quarum posterior oriatur ex prima, siquidem animam contactu carnis pollui existimant, & vtramque concupiscentiam dici posse affirmant, ac docent peccatum originale supra peccatum Adami addere morbosam in anima qualitatem praua desideria perpetuo excitantem. Proportionaliter dicunt aliqui perseverantiam peccati personalis supra peccatum præteritum addere morbidam qualitatem à peccato relictam.

22. Vt examinetur hæc sententia, supponendum primò concupiscentiam posse tripliciter sumi. Primo concupiscentia dicitur actualis appetitus boni. In hoc sensu multæ concupiscentiæ sunt non malæ, sed bonæ, vt Augustinus aduertit concione octaua in psalmum 118. Nam concupiscentia sapientiæ est bona, & laudabilis, quippe quæ ducit ad regnum, vt dicitur sapientia 6. Bona etiam est concupiscentia, qua spiritus concupiscit aduersus carnem, vt loquitur Apostolus ad Galatas 5. Secundo concupiscentia dicitur potentia concupiscendi, seu appetendi bona sensibilia, vt patet ex Augustino libro 4. contra Iulianum cap. 14. & lib. 6. cap. 7. & hæc etiam concupiscentia non est mala, sed bona, vel indifferens, siquidem non solum fuit in Adamo ante peccatum, sed etiam fuit in Christo, & erit in beatis post resurrectionem, & in nobis datur, ita vt possimus ea benè, vel malè viui. Tertio concupiscentia dicitur vitium, quo homines inclinantur ad appetenda bona, præsertim sensibilia contra ordinem rationis. In hoc sensu concupiscentia sumi solet ab Augustino in libris contra Pelagianos, vt cum libro secundo contra Iulianum circa medium dicit, *concupiscentiam non esse substantiam, sed substantiam vitium*; & libro 6. cap. 4. dicit; *ego tanquam valetudinem malam ex origine vitiatam in gentem esse dico homini vitium, quo caro concupiscit aduersus spiritum*. Idem docet libro primo de nuptijs, & concupiscentia, capite 25. & 31. & alibi sæpè.

23. Supponendum secundo hoc vitium, ita residere potissimum in carne, hoc est in parte hominis inferiore, quæ dicitur sensuali-

tas, vt etiam vitium proportionale sit in parte superiori. Quod vitium concupiscentiæ potissimum resideat in carne, probatur. Nam Apostolus ad Romanos 7. dicit concupiscentiam esse malum inhabitans in carne, ac repugnans legi mentis. Augustinus etiam lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, capite 29. dicit. *Quod igitur in membris corporis huius mouetur, totumque animum in se deiectum conatur atrahere, & neque cum mens voluerit, assurgit, neque cum noluerit, conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo*. Idem docet lib. 4. contra Iulianum, cap. 4. & libro 6. cap. 8. & alibi sæpè. Quod etiam proportionale vitium detur in parte superiore hominis, probatur. Nam etiam pars superior hominis est prona ad concupiscendos honores, inanem gloriam, & alias vanitates, & etiam si nolumus, parit huiusmodi desideria bonorum sensibilibus, ac non spectantium ad carnem; ergo etiam in parte superiori datur proportionale vitium concupiscentiæ. Ideo Apostolus ad Galatas 5. cum dixisset carnem concupiscere aduersus spiritum, inter opera carnis numerat non solum ebrietatem, fornicationem &c., sed etiam idololatriam, hæreses, inimicitias &c. vt aduertit Augustinus lib. 14. de Ciuitate cap. 3. & 4. vbi notat carnem aliquando sumi pro toto homine, & eum dici carnalem, qui viuit secundum se ipsam, & non secundum Deum. Licet igitur vitium concupiscentiæ non solum sit in sensualitate, sed etiam in mente, tamen Augustinus libris contra Pelagianos, ideo penè semper loquitur de sensualitate, quia vitium concupiscentiæ in sensualitate magis se prodit.

24. Suppositis his, in quibus conuenire videntur omnes catholici, duplex de hoc vitio concupiscentiæ datur quæstio. Prima est vtum hoc vitium supra potentiam appetendi addat qualitatem quamdam positiuam morbosam, per peccatum primi parentis inductam, & ad posteros carnali generatione propagatam. Secunda est, vtum peccatum originale consistat in hac qualitate. Magister, Henricus, Gregorius, & alij Authores supra relati vtrumque affirmant. Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ, & de statu peccati, cap. 15. & Vasquez 1. 2. disp. 183. capite 4. vtrumque negant.

25. Dicendum primo: seu detur, seu non detur hæc qualitas morbidam, peccatum originale non consistit formaliter in hac qualitate, neque in concupiscentia vitiosa. Probat, nam in baptizatis, & iustificatis remanet concupiscentia vitiosa, ac proinde hæc qualitas morbidam, si in ea consistit vitiosa concupiscentia; sed in baptizatis non remanet peccatum originale, vt ostensum est supra, reiiciendo tertium errorem Lutheranorum; ergo peccatum originale non consistit formaliter in concupiscentia vitiosa.

26. Dicendum secundo: vitium concupiscentiæ saltem principaliter non consistit in mor-

morbida qualitate, qua afficiatur potentia appetitiua, sed in carentia iustitiæ originalis, qua potentia appetitiua in Adamo ante peccatum erat perfectè subiecta, & obediens rationi.

27. Probatur primo, quod vitium concupiscentiæ non consistat principaliter in qualitate morbida. Vitium enim concupiscentiæ ex dictis in secundo supposito non solum datur in corpore, sed etiam in anima spiritali; sed in anima spiritali hominum, qui nascuntur ex Adamo, non potest ex peccato Adami produci vlla qualitas morbida; ergo. Probatur minor; nam licet Adam peccando potuerit in se ipso non solum in corpore, sed fortasse etiam in anima spiritali causare qualitatem morbidam, & gignendo filios secundum corpus, potuerit corpus filiorum simili qualitate inficere, tamen cum non genuerit animas racionales, quæ à solo Deo creantur, non potuit in anima rationali filiorum similem qualitatem morbidam producere; sed neque qualitas morbida corporis potest proportionali qualitate morbidam in anima rationali producere: qualitates enim corporæ non possunt in anima producere qualitatem spiritualem; ergo talis qualitas morbida non potuit ab Adamo per carnalem generationem propagari in animas posterorum; sed ex proportionali ratione non potest produci ab alia causa materiali; ergo deberet aliqua causa spiritalis animas posterorum Adæ hac qualitate imbuere; sed non dantur aliæ causæ spirituales, nisi Deus, & Angeli boni, vel mali; Deus autem est absurdum, quod per se ipsum, vel per Angelos bonos animas racionales inficiat hac morbida qualitate; Diabolus etiam, & Angeli eius non habent potestatem aliquid producendi, nisi per motum localem, applicando actiua passiuus, idque in corporalibus tantum; ergo &c. Propter hoc argumentum Gregorius Ariminensis docuit qualitatem morbidam; quæ est in corpore, esse vnicum accidens materiale, quod producat in anima accidens spirituale, nimirum qualitatem morbidam, quæ est in anima. Sed hoc est absurdum, & communiter exhibitarum.

28. Probatur secundo, & explicatur, quod vitium concupiscentiæ consistat principaliter in carentia iustitiæ originalis. Dupliciter enim potest intelligi, quod equus exempli gratia incitetur ad currendum; primo per aliquid positium, puta per hoc, quod admoueatur calcaria; secundo per aliquid negatiuum, puta per hoc, quod auferatur frænum; ergo proportionaliter dupliciter potest intelligi, quod appetitus hominis sit propensus ad appetenda bona, præsertim sensibilia contra ordinem rationis; primo per hoc, quod aliqua qualitas positua per modum habitus vitiosi impellat ad illa bona appetenda; secundo per hoc, quod careat fræno iustitiæ originalis, per quod subiectus erat rationi; sed, vt dictum est, vitium concupiscentiæ in parte superiori non consistit in hoc, quod voluntas per qua-

litatem morbidam inclinetur ad appetenda bona contra ordinem rationis; ergo consistit in hoc, quod careat fræno iustitiæ originalis, quæ impediēbat, ne voluntas ante, & contra præscriptum rationis per motus indeliberatos moueretur ad quæcumque bona appetenda; ergo etiam in carne, & in parte inferiori vitium concupiscentiæ consistit principaliter in carentia iustitiæ originalis, qua tanquam in no pars inferior in Adamo erat perfectè subiecta rationi.

29. Inferitur, quo pacto ab initio Deo creatus hominem rectum, vitium autem concupiscentiæ non sit à Deo. Rectitudo enim hominis consistit in hoc, vt homo per appetitum sensitiuum non propendeat ad bona inferiora contra præscriptum rationis; sed Deo ita condidit hominem, vt per appetitum propenderet ad bona inferiora contra præscriptum rationis; siquidem appetitus perfectus sub erat rationi per iustitiam originalem; ergo Deus ab initio creauit hominem rectum vitium autem concupiscentiæ, quod consistit in hoc, vt homo careat iustitiæ originali, proinde propendeat ad inferiora contra præscriptum rationis, inductum est per peccatum Adami. Ideo de hoc vitio Augustinus lib. de peccatorum meritis, & remissione dicit. *Quando ergo peccauit Adam, tunc eius corporis naturam perdidit, qua eius anima omni ex parte obediens erat; tunc ille exitiū bestialis motus puerendus habuit, quem in sua erubuit nuditate; & lib. 4. contra Iulianum, cap. vltimo. Quid est gustatio prohibita, nuditas indicata, nisi peccatum nudum, quod gratia contegebat. Gratia quippe Dei non tibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialitatem non habebat. Idem docet, lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 31. & lib. 13. de civitate, cap. 13. & alibi sæpè.*

30. Potest quæri primò, vtrum vitium concupiscentiæ, quatenus est in carne, & sensualitate, minus principaliter consistat in quadam qualitate morbidam per modum habitus prauis, per peccatum causata in carne Adami, adeoque per generationem ad posterum propagata, quæ qualitas concupiscentiæ seruiendo, augeatur, concupiscentiæ restitudo, minuat.

31. Respondeo Augustinum affirmare, patet ex pluribus eius locis. Libro 1. de ciuitate, & concupiscentia, cap. 25, loquens de concupiscentia dicit. *Non enim substantia manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus; sed affertur est quadam mala qualitate, sicut languor; Lib. contra Iulianum, cap. 18. concupiscentia vocat affectionalem qualitatem, quæ non emittitur sed quodam operante contractu, id est concupiscentia sensu transeat, sicut de parentibus morbidis morbo soboles procreatur. Idem docet pluribus aliorum locis. Consonant Augustino S. Thomas 1. 2. quæst. 82, art. 1, ad 1. dicit, peccatum originale non esse priuationem puram, quendam habitum corruptum; & articulo tertio loquens de concupiscentia dicit: *peccatum**

habitus in fufus, aut acquifitus per actum, nifi primi parentis; in cæteris autem per vitiatam originem innatus. Caietanus etiam in illum articulum fecundum quæstionis 82. docet concupifcentiam non effe puram priuationem, fed habitum corruptum.

32. Quæri poteft fecundò, quo pacto, & à qua caufa hæc qualitas iuxta authores illam admittentes producta fuerit in Adamo.

33. Refpondeo, quod quia hæc qualitas effe per modum habitus prauis, ficut aliquando per vnum actum intensiffimum produci- tur habitus, vt omnes docent, fic per actum, quo Adam peccauit, cum fuerit intensiffimus, producta effe hæc qualitas. Hinc explicari poteft, quo pacto vna qualitas tam diuerfa defideria excitet, & ad omnia vitia propellat. Dicit enim poteft, quod quia Adamus actu quodam intensiffimo, relicto Deo, amauit fe ipfum, & bona creata, acquifuit qualitatem per modum habitus intensiffimi, vehementiffimè inclinans ad fe ipfum vitiofe amandum, & ad volendum fibi bona creata cuiuslibet generis. Explicatur exemplo charitatis. Sicut enim habitus charitatis, quo amamus Deum, inclinans ad amanda omnia bona honefta, fic hæc peruerfa charitas, qua vitiofe amamus nos ipfos, inclinans ad amanda omnia bona creata contra præfcriptum rationis.

34. Queritur tertio, cur in nobis quando peccamus, non oriatur fimilis qualitas, & ad pofteros propagetur.

35. Refpondeo Auguftinum rationem afferre ex magnitudine peccati Adami, qui cum pleniffima libertate toto impetu, relicto Deo, ad fe ipfum conuerfus effe, ac proinde naturam vitiauit praua hac qualitate per modum habitus profundiffimè inhærente. Patet ex pluribus locis Auguftini. Libro 2. de nuptijs, & concupifcentia, cap. 34. dicit: *Hoc autem tunc maius, atque altius diabolus vultus in fluxit, quam sint illa hominibus nota peccata. Unde illo magno primi hominis peccato natura ibi noftro deterius commutata, non folum facta effe peccatrix, fed etiam genuit peccatores. Et paulò poft: hoc autem peccatum, quod ipfum hominem in paradifo in peius mutauit, quia multo effe grandius, quam iudicare nos poffumus, ab omni nascente trahitur; & lib. 14. de Trinitate, cap. 12. dicit: fi quem verò mouet, cur alijs peccatis non fic natura mutetur, quemadmodum illa primorum hominum preuaricatione mutata effe, fi quis hoc mouetur, vt dixi, non idè debet existimare leue, & paruura fuiſſe illud commiffum, quia in efca factum effe. Videri etiam poteft lib. 8. de Genefi ad litteram cap. 14.*

36. Quæritur quartò, quo pacto hæc qualitas per modum habitus transfundatur in ſemen, illudque vitiet, itaut per ſemen vitium propagetur ad pofteros.

37. Refpondeo experientia conſtare prauas, & vitioſas qualitates ex accidente acquifitas sæpè vitiare ſemen, ita vt in prolem

propagentur. Hinc oritur aliquando, vt ſiquis ex accidenti factus fit ſtultus, generet filium ſtultum, & fur generet filium propenſiffimum ad furandum. Verum circa hæc qualitatem, vtum detur, vel non detur, nihil ſtatuo: ſolum libuit proponere doctrinam Auguſtini.

37. Quinta ſententia effe Alberti Pichij Controuerſia prima de peccato originis, & Ambroſij Catharini in opufculo de lapſu hominis, ac de peccato originali, capite 6. & videtur fuiſſe etiam quorundam veterum apud Magiſtrum in 2. diſt. 30. Docet hæc opinio peccatum originale nihil aliud effe, quam primam Adami inobedientiam. Hinc primo intulerunt peccatum originale effe vnum, & idem in omnibus hominibus. Secundò intulerunt peccatum originale re ipſa fuiſſe in ſolo Adamo, in cæteris fuiſſe ſolum per imputationem. Tertio intulerunt nihil effe in paruulis re ipſa inhærens, quod habeat veram rationem peccati. Priuatio enim gratiæ, & iuſtitia, macula, reatus &c. ſunt pænæ peccati, ſed non habent rationem culpæ, niſi impropriè, eo pacto, quo nomen cauſæ accommodatur effectui, & concupifcentia in nobis dicitur impropriè peccatum, quia effe effectus peccati, vt docet Tridentinum ſeſſione 5. in decreto de peccato originali.

38. Hanc opinionem Bellarminus libro 5. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati, & Vaſquez 1. 2. diſput. 132. cap. 2. exiſtimant partim effe veram, & catholicam, partim effe falſam, & hæreticam. Vera igitur, & catholica effe, in quantum aſſerit peccatum Adami effe peccatum omnium noſtrum, ſiquidem omnes in Adamo peccauimus, vt docet Apoſtolus ad Romanos 5. Vera etiam effe, & catholica, in quantum aſſerit nos nõ ſolum in Adamo peccaſſe, ſed ex peccato illo traxiſſe priuationem gratiæ, & iuſtitia originaliſ, maculam, reatum, pœnam mortis, & alia huiusmodi. At in quantum dicit peccatum originale ſingulorum nihil aliud effe, quam primam Adæ tranſgreſſionem, & nihil effe in paruulis vnicuique proprium, quod habeat veram rationem peccati, iuxta citatos Authores effe falſa, & hæretica.

39. Reijcitur ergo primo quoad hæc poſtèriorem partem. Nam Tridentinum ſeſſione 5. agens de peccato originali, dicit: *ſi quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, que in baptiſmate confertur, reatum peccati originaliſ remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema fit; ſed non poſſet tolli totum id, quod habet propriam rationem peccati, niſi daretur in paruulis aliquid diſtinctum à præterito peccato Adami, quod haberet veram, & propriam rationem peccati; ergo datur in paruulis aliquid diſtinctum à præterito peccato Adami, quod habet veram, & propriam*

priam rationem peccati; hoc autem iuxta nostram sententiam est priuatio gratiæ, ac debiti aptitudinis ad finem. Rursus si paruolum habere peccatum originale nihil aliud esset, quam peccatum præteritum Adami paruulo moraliter imputari, peccatum originale remitti, & tolli, nihil aliud esset, quam peccatum Adami non amplius paruulo moraliter imputari; sed Tridentinum dicit peccatum tolli, scilicet non solum non imputari; ergo &c. Quia verò dum remittitur peccatum personale, peccatum verè tollitur, & non solum non imputatur, peccatum personale habituale non consistit in sola imputatione peccati præteriti, sed addit priuationem gratiæ, quæ verè, & propriè rationem peccati habet, & verè potest tolli.

40. Reicitur secundo ex Scriptura. Nam Apostolus ad Romanos 5. docet, quod sicut per carnalem generationem trahimus ab Adamo peccatum originale, sic per spiritualem regenerationem trahimus à Christo iustitiam inhærentem vnicuique propriam, distinctam à iustitia Christi; ergo ita trahimus ab Adamo peccatum, ut vnicuique sit permanenter peccator per peccatum originale vnicuique proprium, & inhærens, distinctum à peccato Adæ. Confirmatur: nam Scripturæ dicunt peccatum originale esse immunditiam, & labem vnicuique inhærentem, & non solum imputationem peccati Adæ: Patres, & nominatim Augustinus docent peccatum Adami esse causam peccati originalis vniuscuiusque: ideoque Augustinus lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 27. dicit: *voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati; sed effectus distinguitur à sua causa: ergo peccatum originale singulorum distinguitur à peccato Adami.*

41. Sexta sententia, quam Vasquez 1. 2: disp. 132. cap. 2. tribuit Augustino, docet peccatum originale consistere in concupiscentia, non secundum se, sed ratione reatus, ita ut reatus sit formale constitutum peccati originalis. Addit Vasquez Augustinum nomine reatus intellexisse reatum pœnæ, hoc est obligationem ad pœnam; ac proinde existimasse peccatum originale consistere in hoc, quod quia in Adamo peccauimus, obligamur ad pœnam talis peccati, & cum remittitur pœna, & aufertur hæc obligatio, aufertur peccatum originale. Proportionaliter Scotus in 4. dist. 14. quæst. 1. Gabriel ibidem, quæst. 1. art. 1. & Okamus quæst. 8. & 9. docent in homine post actum peccati personalis nihil remanere, propter quod dicatur esse in peccato, nisi obligationem ad pœnam, quæ obligatio sub diuersis considerationibus dici possit macula, reatus, & offensa Dei. Si enim consideretur ut disconueniens homini, dicitur macula; si consideretur ut obligatio ad luendam pœnam, dicitur reatus; si consideretur in quantum

trahit in Deo voluntatem puniendi, dicitur offensa Dei.

42. Dicendum primò contra hanc sententiam: peccatum originale, & peccatum habituale non consistunt formaliter in reatu pœnæ.

43. Probatur primò, nam remissio peccati baptismum peccato originali, remanet in nobis reatus, seu debitum luendi pœnam mortis, & plures aliàs pœnas temporales, tamen nihil in nobis remanet, quod sit propriè peccatum; ergo reatus pœnæ non est propriè peccatum originale. Similiter remissio peccati mortali personali, non solum per remittitur debitum totius pœnæ, & tamen peccatum mortale remissum ita est relatum, ut nihil ex ipso remaneat, quod habeat verè, & propriè rationem peccati; ergo &c.

44. Probatur secundo à priori. Nam peccator ideo obligatur pœnam luere, quod est malus, non ideo est malus, quia obligatur pœnam luere; ergo hoc, quod est malum, est aliquid antecedens, & per modum radicis; hoc autem, quod est obligari ad pœnam, est aliquid consequens, & per modum proprietatis; sed peccatum est, quo quis contrahitur malus; ergo peccatum habituale est aliquid antecedens per modum radicis, ex quo sequitur per modum proprietatis obligari luendi pœnam, ac proinde peccatum distinguitur ab obligatione luendi pœnam, eo quod, quo radix, & essentia distinguitur à proprietate.

45. Dices: Dionysius cap. 4. de diuinitatibus dicit: *puniri non est malum, sed pœna dignum*; ergo peccatum consistit in ipso dignitate, seu reatu pœnæ.

46. Respondeo nego consequentiam. Dionysius dicens *malum esse fieri dignum pœnæ* eo ipso insinuat malitiam consistere in actone peccaminosa actualiter, vel habitualiter existente ex qua sequitur dignitas pœnæ.

47. Probatur tertio: nam Tridentinum sessione 6. cap. 13. docet pœnam æternam remitti vna cum culpa; ergo culpam, seu peccatum habituale distinguit à reatu pœnæ.

48. Dicendum secundo contra Vasquez Augustinus docens peccatum originale, & habituale consistere in reatu, nomine reatu intelligit reatum culpæ, qui se habet per modum radicis antecedentis, non autem reatum pœnæ, qui se habet per modum proprietatis consequentis.

49. Probatur: nam lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 26. dicit: *hoc est non habere peccatum reum non esse peccati. Nam si quis propter exempli gratia fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamuis illud quod admisit, iam non sit, quia cum tempore, quo factum est, præterijt: & paulò post sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quæ præterita sunt actu, manent, reatu; ergo Augustinus*

stinus dicit, eum, qui commisit adulterium remanere reum adulterij; sed adulterium est culpa; ergo docet eum, qui commisit adulterium, esse reum culpæ. Clarius alijs locis distinguit reatum culpæ à reatu pœnæ, ac de reatu culpæ loquitur tanquam de radice, & causa reatus pœnæ. Nam lib. 1. retractationum, cap. 5. dicit: *Quasi verò peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est reatu eius implicatos, & ob hoc pœna obnoxios detineri.* Dum dicit *reatu eius implicatos*, ponit reatum culpæ; dum dicit *ob hoc pœna obnoxios*, asserit reatum culpæ esse radicem, & causam reatus pœnæ. In psalmum 50. dicit: *quid est, quod se dicit, in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam. Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est.* Dum dicit *trahi iniquitatem ex Adam*, asserit trahi reatum culpæ; dum dicit: *vinculum mortis, hoc est reatum mortis cum ipsa iniquitate concretum esse*, asserit simul cum reatu culpæ trahi reatum pœnæ.

50. Septima sententia docet peccatum habituale vltra peccatum præteritum addere negationem retractationis ad obtinendam remissionem peccati mortalis.

51. Reijcitur: nam si consisteret in hac negatione peccatum habituale, remaneret, quandiu remanet hæc negatio; sed paruuli nunquam retractant peccatum originale; ergo in paruulis post baptismum remaneret peccatum originale; ac præterea peccatum non posset remitti sine retractatione, quod est falsum, vt dicitur in tractatu de iustificatione.

52. Octaua sententia docet peccatum mortale perseverare per hoc, quod quis peccauerit, & non adæquatè satisfecerit.

43. Reijcitur: nam peccatum perseveraret, quandiu peccator non adæquatè satisfecerit; sed repugnat, vt peccator adæquatè satisfaciatur pro peccato mortali, vt dicitur in tractatu de Incarnatione; ergo peccatum mortale semper perseveraret, & nunquam posset remitti; quod est falsum, & hæreticum.

54. Nona sententia Cardinalis de Lugo disp. 7. de Pœnitentia, sect. 5. num. 48. docet peccatum mortale perseverare per hoc, quod quis peccauerit, & neque adæquatè satisfecerit, neque Deus condonauerit, ac proinde perseverantiam moralem peccati supra peccatum præteritum addere duas negationes, quarum altera ablata, peccatum aufertur.

55. Reijcitur: nam vt dictum est, impugnando quintam sententiam, peccatum habituale supra actuale addit aliquid, quod sit verè, & propriè peccatum; sed istæ duæ negationes non sunt verè, & propriè peccatum; ergo &c. Probat minor: nam peccatum propriè debet esse voluntariè, & liberè indutum; sed negatio satisfactionis adæquatæ non est voluntariè, & liberè induta à peccatore, cum pura creatura non possit adæquatè satisfacere; negatio etiam condonationis

non est voluntaria, & libera peccanti, sed Deo; ergo &c.

56. Decima sententia Sancti Anselmi libro de conceptu virginali, cap. 3. docet peccatum originale consistere in carentia gratiæ, & iustitiæ originalis, quæ debeat inesse; & hanc sententiam satis communiter sequuntur Scholastici, qui idem docent de peccato personali. Hæc sententia vt explicetur, & defendatur, duo debent aduerti. Primum est negationem iustitiæ originalis, hoc est subiectionis, qua appetitus sensitivus erat perfectè subiectus rationi, non esse peccatum formaliter, & propriè, sed solum materialiter, & impropriè, cum talis negatio, seu concupiscentia vitiosa remaneat in baptizatis, & iustificatis, vt dictum est, referendo quartam sententiam. Secundum est peccatum habituale formaliter, & propriè consistere in negatione gratiæ, & omnis aptitudinis ad finem etiam naturalem, vt dictum est supra, cum proposuimus nostram sententiam. Notatis his duobus, relata opinio coincidit cum nostra.

57. Vndecima demum sententia S. Thomæ 1. 2. quæst. 82. art. 3. S. Bonaventuræ in 4. dist. 30. art. 1. & aliorum docet peccatum originale includere duo, concupiscentiam nimirum, quæ se tenet ex parte corporis, & est materiale peccati, & non est propriè peccatum, per quam concupiscentiam homo constituitur conuersus ad creaturam; & priuationem gratiæ, quæ priuatio se tenet ex parte animæ, per quam homo constituitur auersus à Deo, & est formale peccati, & est verè, & propriè peccatum. Quia verò in iustificatione infunditur gratia, ac proinde aufertur priuatio gratiæ, & aptitudinis ad finem, aufertur totum id, quod est verè peccatum, licet remaneat concupiscentia, quæ est materiale peccati, & ablata priuatione gratiæ, non est peccatum, sed cadaver peccati, eo pacto, quo ablata anima, corpus non est homo, sed cadaver hominis. Idem proportionaliter dicunt de peccato habituali personali: & hanc sententiam sequuti sumus, & explicauimus.

QVÆSTIO XXXVIII.

Virum etiam peccatum veniale relinquat maculam intrinsecam; & in quo consistat talis macula?

S. Thom. 1. 2. quæst. 86. art. 1. & 2.

1. **V**idetur non relinquere, primò quia, quatenus peccatum mortale inducit, & relinquit maculam intrinsecam, quatenus inducit, & relinquit priuationem debitæ aptitudinis ad vltimum finem naturæ rationalis; sed peccatum veniale non inducit, nec relinquit priuationem debitæ aptitudinis ad vlti-

ultimum in finem naturæ rationalis : nam qui peccat solum venialiter, remanet simpliciter bonus, & aptus ad suum ultimum finem; ergo &c.

2. Secundò non potest explicari, in quo consistat macula intrinseca relicta à peccato veniali, & per quam formam intrinsecam debeat auferri; ergo &c.

3. Respondeo, peccatum mortale differre à veniali per hoc, quod peccatum mortale constituit hominem simpliciter malum, peccatum autem veniale constituit hominem malum secundum quid; sed homo constituitur simpliciter malus per priuationem gratiæ, ac debiti aptitudinis ad ultimum finem naturæ rationalis; ergo peccatum mortale priuat hominem gratia, & debita aptitudine ad finem naturæ rationalis, & consistit in tali priuatione; peccatum autem veniale non priuat hominem gratia, ac debita aptitudine ad finem naturæ rationalis, neque consistit in tali priuatione. Hinc sequitur primò peccatum mortale formaliter remitti per infusionem gratiæ, vel debiti aptitudinis ad finem naturæ rationalis; peccatum autem veniale non remitti formaliter per infusionem gratiæ, vel debiti aptitudinis ad finem naturæ rationalis. Sequitur secundò peccatum mortale cum priuet gratia, ac debita aptitudine ad finem naturæ rationalis, non posse coniungi cum gratia, neque cum debita aptitudine ad finem naturæ rationalis; peccatum autem veniale ex opposita ratione posse coniungi cum gratia, & cum quolibet gradu gratiæ, ac debiti aptitudinis ad finem.

4. His suppositis, queritur, in quo consistat peccatum veniale habituale?

5. Respondet S. Thomas 3. par. quæst. 87. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter; uno modo per priuationem eius, quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debiti proportionis membrorum; alio modo per superinductionem alicuius impediens decorem, puta luti, aut pulueris, ita etiam anima inducitur macula uno modo per priuationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, hoc fit per peccatum veniale; ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ, sed ad tollendam maculam peccati venialis requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quem remoueat inordinata adhesio ad rem temporalem.* Idem S. Thomas eadem quæst. 87. art. 1. in corpore videtur docere peccatum veniale consistere in nimia adhesionem ad bonum temporale, & creatum, ex peccato relicta, quæ adhesio impediatur, & retardet affectum hominis, ne promptè feratur in Deum; eandemque doctrinam tradit 1. 2. quæst. 89. art. 1. in corpore. Ex doctrina igitur S. Thomæ videtur colligi peccatum veniale habituale consistere in inordinata inclinatione, & nimia adhesionem ad bonum temporale relicta culpabiliter à peccato veniali actuali, impediens, & retardante mo-

tum creaturæ rationalis in Deum, & bonum honestum.

6. Sed contra hanc doctrinam opponi potest: inordinata inclinatio, & nimia adhesio ad bonum temporale relicta à peccato veniali, nihil aliud tandem est, quam quidam prauus habitus, & quædam praua dispositio contracta, & relicta à peccato veniali; ergo si reatus culpæ venialis consisteret in tali inordinata inclinatione, & adhesionem, consisteret in prauo habitu, vel praua dispositione relicta à peccato veniali, ac proinde remanente prauo habitu, vel praua dispositione, non posset non perseverare reatus culpæ venialis; hoc est falsum; nam per sacramentum poenitentiae, & aliæ media remittuntur, & auferuntur multa peccata venialia quæ culpam, licet in nobis remaneant prauæ dispositiones relicta à talibus peccatis venialibus remissis quoad culpam; ergo reatus culpæ venialis formaliter non consistit in inordinata inclinatione, & nimia adhesionem ad bonum creatum relicta à peccatis venialibus actualibus.

7. Propter hoc argumentum, quod est difficile, in re obscura existimo dicendum quod sicut ex dictis quæst. 36. & 37. peccatum mortale non solum relinquit prauam dispositionem, & prauum habitum, qui non est propriè peccatum, sed etiam relinquit priuationem gratiæ, & aptitudinis ad finem, quæ priuatio est verè, & propriè peccatum mortale; sic peccatum veniale actuale non solum relinquit prauam dispositionem, & prauum habitum, qui non est propriè peccatum, sed etiam relinquit impedimentum culpabile directè retardans motum creaturæ rationalis ad suum ultimum finem, quod impedimentum est propriè peccatum veniale. Rursus sicut potest auferri ab anima priuatio gratiæ, & aptitudinis ad finem, quæ priuatio verè, & propriè est peccatum mortale, ab ea quoque auferatur habitus prauus, & praua dispositio; sic potest auferri ab anima impedimentum directè retardans motum ad finem, quod est verè, & propriè peccatum veniale, absque eo, quod auferatur habitus prauus. Sanctus igitur Thomas sicut docet peccatum mortale habituale materialiter consistere in concupiscentia, vel habitu prauo, formaliter in priuatione gratiæ, & aptitudinis ad finem, ut explicatum est quæst. 87. art. 1. in fine; sic docet peccatum veniale materialiter consistere in habitu prauo, & praua dispositione, formaliter consistere in impedimento culpabili retardatio motum animæ ad suum ultimum finem, qui motus consistit in amore Dei, & boni honesti.

8. Dices primò: hoc impedimentum nihil aliud tandem potest esse, quam prauus habitus, & praua dispositio; ergo redit ad difficultatem.

9. Respondeo, nego antecedens. Prauus enim habitus, & praua dispositio sunt quæ

tates actiua, ac directæ inclinationes ad agendum, ac solum indirectè impediunt actus contrarios; at hoc impedimentum, in quo consistit peccatum veniale, non est actiuum, nec directè inclinatur ad agendum, sed solum directè retardat motum animæ ad suum finem, ideoque potest vocari priuatio, in consensu, in quo positiuum defectuosum, & non actiuum, sed purè impeditiuum boni vocatur priuatio.

10. Dices secundò: peccatum mortale habituale consistit in priuatione; ergo etiam veniale habituale consistit in priuatione, & non in positio impedimento.

11. Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia peccatum mortale constituit hominem simpliciter malum, hoc est ineptum ad finem; sed homo non potest constitui simpliciter malus, nisi per carentiam aptitudinis ad suum vltimum finem; ergo peccatum mortale consistere debet in carentia talis aptitudinis. At peccatum veniale non constituit hominem simpliciter malum, sed solum malum secundum quid; ergo non debet auferre aptitudinem ad finem, sed solum debet hominem impedire, & retardare à motu ad suum finem. Confirmatur primò: nam oculus non potest constitui cæcus, & simpliciter malus in genere oculi, nisi per priuationem aptitudinis ad videndum: at potest constitui secundum quid malus per impedimentum aliquod positiuum inductum in oculo, puta per aliquem humorem, qui fluxerit in oculo, & impediatur perfectam visionem; ergo à pari. Confirmatur secundò: nam Apostolus 1. ad Corint. 3. vt explicat Augustinus in Enchiridio cap. 68. Anselmus, Sanctus Thomas, & Cornelius in commentario eius loci, peccata venialia comparat ligno, scæno, & stipulæ, quæ domui supperaddita, licet illam non reddant simpliciter malam, tamen aliquo pacto foedant: Christus Ioan. 13. dicens: *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet*, peccata venialia comparat pulueri inherenti; ergo macula peccatorum venialium consistit in aliquo positio.

12. Inferitur primò, quod sicut peccatum veniale non constituit hominem simpliciter, sed solum secundum quid maculatum, & immundum, sic non est macula, & immunditia simpliciter, sed secundum quid, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 8. art. 1. in corpore. Ideo Christus Io. 13. loquens de Apostolis, qui Iuda excepto, habebant solum peccata venialia, dixit: *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; & vos mundi, sed non omnes*. Per peccata enim venialia non erant simpliciter, sed solum secundum quid immundi.

13. Dices: peccatum veniale est malum, munditia à veniali est bona; sed ex duobus oppositis positiuum est id, quod habet rationem boni, negatiuum est id, quod habet rationem mali; ergo &c.

14. Respondeo negando minorem esse vniuersaliter veram. Certum enim est aliqua physicè positia esse mala subiecto, & negationes oppositas esse bonas; ex. gr. dolor est malus, negatio doloris est bona; humor impediens oculum à perfecta visione est malus oculo, negatio talis humoris est bona oculo. In casu nostro impediencia directè, & retardantia creaturam rationalem à motu ad vltimum finem sunt mala; negationes talium impedimentorum sunt bonæ.

15. Addo primò hæc impedimenta positia secum identificare aliquas negationes, per quas formaliter loquendo constituuntur mala; ex. gr. impedimentum motus ad finem est malum, in quantum includit priuationem secum identificatam motus ad vltimum finem. Conceptus enim formalis mali consistit in priuatione, vt supra ex professo explicauimus quæstione trigesima.

16. Addo secundò, quod sicut oculus non potest constitui simpliciter bonus in genere oculi, hoc est aptus ad videndum, nisi per aliquam qualitatem positiam, puta per potentiam videndi; potest tamen constitui secundum quid bonus, & expeditus ad perfectè videndum etiam per negationem, puta per negationem humoris noxii impediens à perfecta visione; sic natura rationalis non potest constitui simpliciter bona, & apta ad suum finem, nisi per qualitatem positiam, vt dictum est quæst. 36. sed potest constitui secundum quid bona, & expedita ad se promptè mouendum ad suum finem etiam per negationem impediens, hoc est peccati venialis.

17. Addo tertio peccatum veniale impedire, & retardare motum animæ ad suum finem; tum quia reddit talem motum difficiliorem; tum quia est inconiungibile cum perfectissimo actu charitatis, qui est perfectus motus ad finem.

18. Addo quartò positiuum illud, in quo consistit peccatum veniale, posse formaliter auferri etiam per aliquam qualitatem transeuntem, & posse auferri per actum perfectissimæ charitatis, qui se habet vt calor intensissimus auferens, & comburens omnia peccata venialia, hoc est omnia impedimenta retardantia motum ad vltimum finem.

19. Inferitur secundò contra Scotum, etiam in peccato veniali reatum culpæ distingui à reatu poenæ, & posse auferri totum reatum culpæ, remanente aliquo reatu poenæ. Ratio est, quia potest auferri impedimentum illud intrinsecum retardatiuum motus ad finem, in quo impedimento consistit reatus culpæ, & remanere obligatio ad luendam poenam.

20. Ad 1. distinguo maiorem: catenus peccatum mortale relinquit maculam, quatenus relinquit priuationem gratiæ, itaut hæc sit ratio necessaria, nego; itaut sit ratio sufficiens, concedo maiorem; concedo minorem; & ne.

& nego consequentiam. Ut peccatum relinquat maculam saltem secundum quid, non requiritur, ut relinquat priuationem gratiæ, sed sufficit, ut relinquat impedimentum directè impediens motum creaturæ rationalis in Deum; sed peccata venialia relinquunt hoc impedimentum; ergo relinquunt maculam secundum quid.

21. Ad 2. nego antecedens. Explicatum enim est, in quo consistat macula relicta à peccato veniali, & per quam formam aufertur.

QVAESTIO XXXIX.

Virum ablato reatu culpæ, possit remanere reatus poenæ temporalis, vel aeternæ.

S. Thomas 1. 2. quest. 87. art. 1. & seqq.

1. **V**ideretur non posse, primò quia ablata causa necessaria ad aliquem effectum, aufertur effectus, ideoque est axioma Aristotelis 2. physic. text. 30. *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*; sed reatus culpæ est causa necessaria reatus poenæ; ergo ablato reatu culpæ, semper aufertur reatus poenæ.

2. Secundò ex Apostolo ad Romanos 5. donum Christi est efficacius, quam peccatum; sed per peccatum incurritur simul reatus culpæ, & poenæ; ergo per gratiam, quæ est donum Christi, simul remittitur culpa, & poena.

3. Tertio peccata remittuntur per passionem Christi iuxta illud Apostoli ad Rom. 3. *quem proposuit Deus propitiatorum per fidem in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium delictorum*; sed passio Christi est sufficiens ad satisfaciendum pro tota culpa, & pro tota poena; ergo cum remittitur culpa, remittitur etiam tota poena;

3. Quarto sicut repugnat, ut cum remittitur peccatum mortale, reatus culpæ mortalis mutetur in reatum culpæ venialis, sic repugnat, ut reatus poenæ aeternæ mutetur in reatum poenæ temporalis; sed si remisso peccato mortali, remaneret reatus poenæ temporalis, reatus poenæ aeternæ mutaretur in reatum poenæ temporalis; ergo &c.

5. Quintò ex alia parte videtur, quod de potentia absoluta, ablato reatu culpæ mortalis, possit remanere reatus poenæ aeternæ. Illi enim, qui meretur duo mala, potest remitti vnum, & non remitti aliud; sed qui peccauit mortaliter per peccatum præteritum meretur, ut sibi non remittatur reatus culpæ, & præterea meretur puniri poena aeternæ; ergo Deus potest remittere reatum culpæ, & nolle remittere reatum poenæ, sed velle infligere poenam aeternam.

6. Sextò, ut arguit Suarius disp. 10. sect. 2. num. 2. Deus potest creaturæ rationali inno-

centi infligere aeternum malum, & aeternam miseriam; cum enim sit supremus dominus, potest qualibet creatura uti, sicut figuratur vitur vase; ergo potest ei, qui peccauit mortaliter, remisso reatu culpæ, infligere aeternam miseriam in poenam peccati remissi.

7. Respondeo plures fuisse errores hereticorum, & opiniones Scholasticorum. Primò ergo ut refert Bellarminus lib. 4. de penitentia, cap. 2. Lutherus initio sua defectio nis à fide docuit Deum nunquam exigere poenam pro peccatis remissis quoad culpam, & hunc errorem sequutus est Calvinus lib. Institutionum, cap. 4. §. 31. & 32. Secundò idem Lutherus deinde concessit, remissa culpa, aliquando remanere reatum poenæ temporalis luendæ in hac vita, sed negavit remanere vllum reatum poenæ luendæ post mortem, ideoque negavit Purgatorium, ut fragia pro mortuis &c. Tertio Catholici omnes post Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 9. docent in præsentia prouidentia, remissa culpa mortali, de facto remitti reatum poenæ aeternæ, sed sæpe remanere reatum poenæ temporalis luendæ, tum in hac vita, tum post mortem in Purgatorio. Quarto Suarius disp. 10. sess. 2. & Cardinalis de Lugo disp. 8. nu. 69. & alij docent Deum de potentia absoluta posse remittere reatum culpæ mortalis, non remisso reatu poenæ aeternæ. Quintò Scotus, Gabriel, & Medina docent, remisso reatu culpæ mortalis, non posse per vllam potentiam remanere reatum poenæ aeternæ, sed hoc docent ex falso fundamento, quia nimirum putant reatum poenæ aeternæ identificari cum reatu culpæ mortalis. Sextò idem Scotus, & alij, qui putant reatum culpæ venialis non distinguere reatu poenæ, docent, remissa tota culpa veniali, necessario remitti totam poenam. Septimò alij authores communiter docent reatum culpæ venialis distinguere à reatu poenæ, ac sæpe de facto remitti totum reatum culpæ venialis, non remisso toto reatu poenæ.

8. Dicendum primò: Deus in præsentia prouidentia nunquam remittit peccatum mortale quoad culpam, quin simul remittat poenam aeternam inferni. Conclusio est de fide ex Tridentino sess. 6. cap. 14. Probatum nam de facto Deus nunquam remittit peccatum mortale, nisi per gratiam sanctificantem, quæ dat ius ad aeternam beatitudinem; sed non potest Deus dare ius ad aeternam beatitudinem, quin remittat poenam aeternam inferni, quæ affert aeternam miseriam; ergo &c.

9. Dicendum secundò: Deus neque de potentia absoluta potest remittere peccatum mortale quoad reatum culpæ, quin remittat reatum poenæ aeternæ afferentis aeternam miseriam.

10. Probatum: nam Deus non potest tractare ut inimicum illum, qui non est inimicus: nam eo ipso inordinatè, & crudeliter loqueretur;

gereret; sed Deus eum, quem per æternam pœnam facit in æternum miserum, tractat vt inimicum; ergo non potest eum, qui per remissionem peccati mortalis, non est amplius inimicus Deo, punire pœna æterna. Probatur minor: nam qui vult, & infligit alteri malum ex genere summum, quod possit infligere, tractat illum vt inimicum; sed æterna pœna includens æternam miseriam est malum ex suo genere summum, quod Deus potest infligere creaturæ rationali; nam licet malum culpæ sit maius malo pœnæ, tamen malum culpæ non potest à Deo infligi, sed solum permitti: ergo Deus tractat vt inimicum eum, quem punit pœna æterna includente æternam miseriam.

11. Confirmatur: nam cum odisse sit velle malum, non potest Deus infligere malum simpliciter ei, quem simpliciter, & absolute non odit; sed pœna æterna includens æternam miseriam est malum simpliciter creaturæ rationalis; ergo Deus non potest creaturæ rationali inferre malum æternæ miseriar, nisi eam simpliciter odio habeat; sed Deus solos malos, & inimicos simpliciter odio habet; ergo solis malis, & inimicis Deus potest infligere pœnam æternam includentem miseriam, ac proinde non potest illam infligere ei, qui per remissionem culpæ mortalis non est amplius malus, & inimicus Deo.

12. Dices: peccatum præteritum est adæquatum meritum pœnæ æternæ, macula autem habitualis non est vlla pars meriti; sed ablata macula habituali, non aufertur peccatum præteritum in ratione præteriti; ergo ablata macula habituali, non aufertur meritum pœnæ æternæ; ergo ablata macula habituali, peccatum præteritum potest iuste puniri pœna æterna.

13. Respondeo, distinguo maiorem; peccatum præteritum est adæquatum meritum pœnæ æternæ, vt infligendæ sub conditione, quod tale meritum non auferatur moraliter, concedo; vt infligendæ etiam sub conditione, quod moraliter auferatur, nego; concedo minorem: & distinguo consequens; ergo ablata macula habituali, non aufertur moraliter meritum pœnæ æternæ, nego; non aufertur physicè, concedo; & nego secundam consequentiam. Peccatum præteritum meretur pœnam æternam, vt infligendam sub conditione, quod tale meritum moraliter non auferatur, sed moraliter duret in æternum; at non meretur pœnam æternam vt infligendam sub conditione, quod ablatum sit meritum pœnæ æternæ; sed cum aufertur macula, aufertur moraliter meritum pœnæ æternæ; ergo non est mirum, quod ablata macula, peccatum præteritum non possit iuste puniri pœna æterna.

14. Dicendum tertio: Deus etiam in præfenti prouidentia sæpe remittit peccatum mortale quoad culpam, absque eo, quod illud remittat quoad pœnam temporalem, ideoque

sæpe peccatum mortale remissum quoad culpam punit pœna temporali, tum in hac vita, tum post mortem in purgatorio. Conclusio est de fide ex Tridentino sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 8.

15. Probatur primò ex Scriptura. 2. Reg. 12. Dauid post impetratam veniam adulterij, & homicidij, punitus est morte filij, & pluribus alijs pœnis temporalibus. 2. Regum 14. idem Dauid ob numeratum populum penitentiam agit, & impetrat veniam, & tamen datur illi optio, vt eligat pestem, famem, vel bellum. Mors est pœna peccati originalis, & tamen post remissum peccatum originale omnes morimur. Numer. 14. vniuersus populus murmurauit, & Moyses intercessione reconciliati sunt Deo, & tamen in pœnam omnes, exceptis Caleb, & Iosue, qui non fuerunt participes murmurationis, mortui sunt in deserto. Num. 20. Moyses, & Aaron, quia non glorificauerunt Deum ad petram, obtenta venia culpæ, damnati sunt ad moriendum in deserto. Videri potest Bellarmini lib. 4. de penitentia, cap. 2. & lib. 1. de Purgatorio, cap. 11.

16. Dices: hæc testimonia probant solum, remissa culpa, non semper remitti pœnas temporales luendas in hac vita.

17. Sed contra: nam allata testimonia Scripturæ probant multis, remissa culpa, non remitti pœnas temporales; sed ex his plures moriuntur, antequam satisfecerint adæquatè pro pœnis non remissis, & antequam illas luert; ergo debent illas luere post mortem in altera vita, hoc est Purgatorio.

18. Probatur secundo ratione, quam affert Sanctus Thomas 3. par. quæst. 86. art. 4. Peccatum enim mortale, cum sit auersio à Deo, & inordinata conuersio ad creaturam, meretur pœnam, & in quantum est auersio à Deo, & in quantum est inordinata conuersio ad creaturam; iustum enim est, vt qui voluntati suæ plus indulsit, quam debuit, contra suam voluntatem aliquid patiat, ideoque Apocalypsis 18. dicitur: *Quantum se glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; ergo Deus remittendo peccatum quoad culpam, potest remittere pœnam peccato debitam, in quantum fuit auersio à Deo, & non remittere pœnam debitam, in quantum fuit inordinata conuersio ad creaturam; sed peccatum in quantum est auersio à Deo bono infinito, & constituit hominem inimicum Deo, habet quandam infinitatem, propter quam meretur pœnam propriam inimici: in quantum autem est inordinata conuersio ad creaturam, cum sit conuersio finita, meretur solum pœnam temporalem, & finitam; ergo potest Deus per gratiam, qua hominem ex inimico facit amicum, remittere pœnam æternam debitam inimico ratione auersionis à Deo, & non remittere pœnam temporalem debitam ratione conuersionis ad creaturam.

S

19. Pro:

19. Probatur tertio: nam cum quis furatus est amico, peccauit contra amicitiam, offendens amicum, & peccauit contra iustitiam, sumens sibi plusquam debuit; amicus autem potest condonare furtum, in quantum fuit offensa contra amicitiam, & simul exigere, vt amicus reddat æquale rei ablatae, & sic ponatur æqualitas iustitiæ; sed qui per peccatum mortale offendit Deum, & peccat contra diuinam amicitiam, & peccat contra iustitiam, sumens sibi plus, quàm debetur; ergo Deus potest per gratiam condonare offensam, ac remittere penam æternam debitam peccato, in quantum est contra amicitiam, & simul potest velle, vt quantum peccator propriæ voluntati inordinatè indulget, tantum contra propriam voluntatem patiat, & sic per penam temporalem ponatur æqualitas iustitiæ.

20. Probatur quarto: nam in tantum remissa culpa mortali, non potest infligi pena æterna, in quantum pena æterna est propria inimici; sed pena temporalis potest etiam infligi amico ad correctionem, & reordinationem, ideoque parentes puniunt filios maximè dilectos; ergo Deus, remisso peccato mortali quoad culpam, potest infligere penam temporalem.

21. Dicendum quarto contra Scotum: peccatum etiam veniale potest remitti totaliter quoad culpam, & non remitti quoad totam penam.

22. Probatur primo: nam eatenus Scotus docet peccatum veniale non posse remitti quoad totum reatum culpæ, quin remittatur quoad totum reatum penæ, quatenus existimat ex peccato veniali præterito non remanere alium reatum, quàm soluendæ penæ; sed hoc est falsum: vt enim dictum est quæst. 38. ex peccato veniali ultra debitum soluendæ penæ remanet macula, quæ verè, & propriè est peccatum; ergo &c.

23. Probatur secundo: nam peccatum veniale, & relinquit fœditatem culpæ, quæ debet compensari decore vindictæ, & relinquit debitum, vt quantum quis venialiter peccando, voluntati propriæ inordinatè indulget, tantum contra propriam voluntatem patiat; ergo Deus potest auferendo fœditatem culpæ remittere penam, qua deberet compensari, si duraret post hanc vitam, & non remittere debitum, vt quantum quis propriæ voluntati inordinatè indulget, tantum contra propriam voluntatem patiat.

24. Ad 1. concedo maiorem, & distinguo minorem: reatus culpæ vt physicè suo tempore existentis est causa necessaria reatus penæ, concedo; reatus culpæ, vt moraliter perseverantis est causa necessaria reatus penæ, nego; & nego consequentiam. Plures causæ ita sunt necessariae ad primam positionem effectus, vt earum conseruatio physica non sit necessaria ad conseruationem effectus: e. g.

pater ita est necessarius ad primam generationem filij, vt conseruatio patris non sit necessaria ad conseruationem filij: mortuus enim pater filius conseruatur. In casu nostro peccatum actuale est causa necessaria ad incurrendum reatum penæ, sed perseverantia physica, vel moralis peccati commissi non est necessaria ad hoc, vt duret reatus penæ: sed cum peccatum remittitur quoad culpam non fit, vt peccatum non fuerit præteritum adeoque non extiterit causa necessaria ad incurrendum reatum penæ, solum fit, vt peccatum præteritum non perseveret moraliter ergo remisso peccato præterito quoad culpam, potest remanere reatus penæ, proportionaliter, ac patre extincto, potest remanere filius.

25. Ad 2. distinguo minorem: donum Christi est efficacius, quàm peccatum in ordine ad effectum, ad quem datur, concedo in ordine ad alios effectus, nego; concedo minorem, & distinguo consequens; ergo per donum gratiæ, quod datur in ordine ad remittendam simul culpam, & penam, remittitur simul culpa, & pena, concedo; quod non datur in ordine ad hoc, nego. Christus dat multa dona, & omnia sunt efficaciora peccato in ordine ad effectum, ex cuius intentione efficaci dantur; sed non omnia dantur in ordine ad eisdem effectus. Donum ergo Christi, quod datur in baptisate, vt in contritione perfectissima in ordine ad remittendam simul culpam, & totam penam remittit simul culpam, & totam penam tantum, quod datur in sacramento penitentiæ, & contritione minus perfecta in ordine ad remittendam culpam, & solam partem penæ remittit culpam, & solam partem penæ donum gratiæ consummata, quod datur in die iudicij in ordine ad auferendam mortalitatem, concupiscentiam, peccabilitatem, & alios defectus, est efficacius peccato in ordine ad auferendos tales defectus. Idem de reliquis. Christus autem vnique dicitur prouidentia, prout vult iuxta leges

26. Ad 3. distinguo maiorem: peccata remittuntur per passionem Christi exigentem, & prout applicatam per varia dona gratiæ concedo; formaliter, & independentem applicationem, nego; & distinguo minorem: passio Christi est sufficiens ad satisfaciendum pro tota culpa, & pro tota pena, sufficientia actus primi requirentem determinatam applicationem, concedo; sufficientia non requirentem determinatam applicationem, nego; & nego consequentiam. Passio Christi sufficientia actus primi est sufficiens ad satisfaciendum pro tota culpa, & pro tota pena, sed vt auferat totam culpam, & totam penam in actu secundo, debet applicari per certa dona; si autem applicetur per alia dona, non tollit totam penam. Confirmatur responsio nam non valet: omnipotentia diuina est

se sufficiens ad nunc resuscitandos mortuos ab initio mundi; ergo nunc omnes illos resuscitat. Ratio est, quia diuina omnipotentia est sufficiens in actu primo ad resuscitandum omnes mortuos, ut ad illos nunc resuscitandos in actu secundo debeat applicari per voluntatem efficacem resuscitandi nunc omnes mortuos. Proportionaliter passio Christi est sufficiens ad remittenda omnia peccata simul quoad culpam, & penam: non tamen valet; ergo semper simul remittit totam culpam, & totam penam. Ratio est, quia ut remittat totam culpam, & totam penam, debet applicari per certa dona; at non semper applicatur per illa dona.

27. Ad 4. nego maiorem. Ratio est, quia iudex non potest reatum vllius culpæ mutare in reatum alterius culpæ; ex. gr. non potest facere, ut qui erat reus homicidij, sit reus mendacij, quod nunquam commisit, nec potest vnam maculam mutare in aliam, siquidem macula non potest causari à iudice, sed à peccante; at potest iudex penam maiorem mutare in minorem, itaut eum, qui obligabatur ad penam suspendij, obliget ad soluendam penam minorem triremium; ergo Deus potest penam æternam mutare in temporalem, & vnam penam temporalem maiorem in aliam minorem, & fortasè etiam in æqualem. Addo non esse necesse, ut cum remittitur pena æterna, & non remittitur temporalis, pena æterna mutetur in temporalem, sed sufficere, ut remittatur tota pena, quæ debetur peccato, in quantum fuit auersio à Deo, & ut non remittatur pena, quæ debebatur peccato, in quantum fuit conuersio ad creaturam, cui conuersioni, remissa culpa, & pena æterna, debetur determinata pena temporalis, quam Deus potest nolle remittere.

28. Ad 5. probans remitti posse peccatum mortale, non remissa pena æterna, distinguo maiorem: illi, qui meretur duo mala, potest remitti vnum, & non remitti aliud essentialiter supponens primum, nego; non essentialiter supponens primum, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Pena æterna non potest infligi nisi inimico, ac proinde supponit essentialiter non fuisse remissam culpam, ratione cuius peccator est inimicus; ergo pena æterna non potest non remitti, cum remittitur culpa; siquidem eo ipso, quod Deus remittit peccatum mortale quoad culpam, non amplius habet ius tractandi eum, qui peccauit, ut inimicum, ac proinde non amplius habet ius infligendi illi penam æternam.

29. Ad 6. nego antecedens. Si enim Deus non potest tractare ut inimicum eum, qui fuit inimicus, sed non est amplius inimicus, multò mius potest tractare ut inimicum eum, qui nunquam fuit inimicus; sed infligere miseriam æternam est tractare creaturam rationalem ut inimicam; ergo Deus

non potest infligere miseriam æternam illi, cui remisit culpam mortalem.

30. Dices; Deus potest remittere penam æternam, non remissa culpa mortali; ergo.

31. Respondeo primò transeat antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia nolle tractare ut inimicum eum, qui est inimicus, videtur esse quædam clementia; at velle tractare ut inimicum eum, qui non est inimicus, videtur crudelitas; sed Deo repugnat crudelitas, non repugnat clementia; ergo &c.

32. Respondeo secundò, distinguo antecedens: Deus potest remittere penam æternam damni, non remissa culpa mortali, nego; penam æternam sensus, transeat; & nego consequentiam. Pena æterna damni consistit in priuatione felicitatis æternæ; sed Deus non potest dare felicitatem æternam ei, cui non remisit reatum culpæ mortalis; ergo non potest remittere penam damni ei, cui non remisit culpam mortalem. Probatur minor; nam Deus non potest simpliciter diligere eum, quem simpliciter odio prosequitur ut inimicum; sed Deus eum, cui non remisit peccatum mortale, simpliciter odio prosequitur ut inimicum, ut dicitur suo loco; ergo Deus non potest simpliciter diligere eum, cui non remisit peccatum mortale; sed velle alicui felicitatem æternam est simpliciter illum diligere; ergo Deus non potest velle dare felicitatem æternam ei, cui non dimisit peccatum mortale, licet fortasè possit ex quadam clementia illum non punire pena æterna sensus.

QVÆSTIO XXXX.

Virum peccatum veniale non remissum in hac vita puniatur in inferno pena æterna?

1. Videtur non puniri pena æterna, sed solum temporali, primò quia Deus peccata non punit vltra condignum, & plusquam merentur, sed potius citra condignum; sed peccatum veniale ex se meretur penam solum temporalem; ergo in inferno puniatur solum pena temporali.

2. Secundò Deus peccatum leue non punit pena graui; sed peccatum veniale est leue; ergo non punit pena graui; sed pena æterna ex sua ratione est grauißima; ergo Deus non punit peccatum veniale pena æterna.

3. Tertio si dicatur peccatum veniale propter coniunctionem cum mortali mereri per accidens penam æternam, contra est, nam coniunctio non augens culpam, neque auget meritum penæ; sed coniunctio peccati venialis cum mortali non auget culpam;

ergo neque auget meritum pœnæ. Confirmatur; nam cum illa coniunctio non constituat peccatum veniale peccatum graue, non constituit illud pœna graui dignum, qualis est pœna æterna.

4. Quartò si dicatur peccatum veniale mereri pœnam æternam propter suam perpetuitatem, qua in inferno est perpetuum quoad reatum culpæ, contra est, nam peccatum actuale præteritum, non autem eius duratio habitualis meretur pœnam, nisi in tali duracione committatur nouum peccatum actuale; sed peccatum actuale præteritum secundum se est dignum pœna solum temporali; ergo etiam si propter connexionem cum mortali duret habitualiter in æternum, meretur pœnam solum temporalem. Probatur maior; nam si peccatum veniale quoad maculam habitualem culpæ durauerit duobus mensibus, non meretur maiorem pœnam, quam si durauerit vno tantum mense; ergo si duret in æternum, non meretur maiorem pœnam, quam si duret solum temporaliter.

5. Quintò pœna æterna debetur solum inimico; ergo maior pœna æterna debetur solum magis inimico; sed Deus propter peccata venialia adiuncta mortalibus non est magis inimicus peccatori; nam peccata venialia cum non sint contra charitatem, & amicitiam Dei, non merentur diuinam inimicitiam, neque augmentum inimicitie; ergo Deus propter peccata venialia adiuncta mortalibus non punit peccatorem maiori pœna æterna.

6. Sextò peccata venialia, etiam si multiplicentur in infinitum, non possunt adæquare vnum peccatum mortale, quamuis minimum; ergo pœna peccatorum venialium, etiam si augetur in infinitum, non potest adæquare pœnã vnius peccati mortalis quamuis minimi; sed si pœna venialis peccati in inferno euaderet æterna pœna plurium, & plurium venialium peccatorum posset non solum adæquare, sed etiam excedere pœnam alicuius peccati mortalis; ergo &c.

7. Septimò ita se habet peccatum veniale factum in statu gratiæ, sicut opus honestum supernaturale factum in statu peccati mortalis; sed honestum opus supernaturale factum in statu peccati mortalis, accedente gratia, non meretur vllum augmentum felicitatis eterne, sed solum meretur premium temporale; ergo peccatum veniale factum in statu gratiæ, adueniente peccato mortali, non meretur augmentum miserie æternæ, sed solum pœnam temporalem, præsertim cum Deus sit multò propensior ad præmiandum, quam ad puniendum.

8. Octauò si dicatur peccatum veniale non remissum in inferno puniri pœna æterna ratione status damnationis, qui exigit, vt tota pœna sit æterna, & non minuatur, siquidem in inferno non est refrigerium, & redemptio, contra est, nam sequeretur, quod etiam

eum remisso peccato mortali; vel veniale quoad culpam, superest aliquis reatus pœnæ temporalis, illa pœna temporalis in inferno ratione status mutaretur in æternam, quod est falsum, & videtur absurdum.

9. Respondeo tres esse sententias, duarum antiquorum, tertiam quorundam recentiorum. Omnes antiqui conuenerunt in hoc, quod si peccatum veniale non remissum in hac vita, in inferno propter coniunctionem cum mortali est irremissibile, ac proinde durat in æternum quoad culpam, durat etiam in æternum quoad pœnam, & punitur pœna æterna. Hoc supposito, antiqui diuisi sunt in duas sententias. Prima Richardi de Sancto Victore prima parte suorum operum opus, de differentia peccati mortalis à veniali, Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 87. art. 3. ad 3. Caietani, & Thomistarum communiter, Sancti Bouauenturæ in 4. dist. 4. art. 3. quæst. 3. Durandi in 4. dist. 1. quæst. 2. aliorum docet peccatum veniale in hac vita non remissum, in inferno propter coniunctionem cum mortali durare in æternum quoad culpam, & puniri pœna æterna. Hanc sententiam sequuti sunt etiam plerique author nostræ Societatis, nimirum Suarius de peccato sententia disp. 37. sect. 2. Vasquez 1. 2. disp. 14. cap. 2. Card. de Lugo de pœnitentia disp. 1. sect. 2. num. 39. & alij.

10. Secunda sententia Scoti in 4. dist. quæst. 1. & Scotistarum communiter docet ex peccato actuali veniali non relinqui maculam, seu reatum culpæ distinctum à reatu pœnæ, sed solum relinqui obligationem ad luendam pœnam temporalem; & quia obligatio ad luendam pœnam temporalem auferitur per hoc, quod quis luerit totam pœnam debitam, docet damnatos, luendo totam pœnam temporalem debitam pro peccato veniali, liberari à toto reatu culpæ simul, & pœnæ, ac proinde in damnatis peccatum veniale non durare in æternum, neque quoad culpam, & maculam, neque quoad pœnam.

11. Tertia sententia quorundam recentiorum docet, peccata venialia non remissa in hac vita durare in æternum quoad maculam, & reatum culpæ, quem putant distinguere à reatu pœnæ, & tamen non puniri pœna æterna, sed solum temporali, qua integrè soluta manet reatus culpæ, sed non amplius puniatur, quia iam est adæquatè punitus.

12. Dicendum primò; si peccatum veniale in inferno durat in æternum quoad culpam, debet etiam durare in æternum quoad pœnam.

13. Probatur; nam qui peccat in statu viæ meretur de condigno, vt in statu terminato peccatum puniatur pœna proportionata culpæ; sed proportio inter pœnam, & culpam consistit in hoc, vt quantum, & quoad culpam displiceat Deo, tantum, & tandiu pœna displiceat peccatori; ergo qui peccat in statu viæ, meretur de condigno, vt quantum,

quantum,

quandiu in statu termini culpa displicet Deo, tantum, & tandiu pœna displiceat peccatori; ergo meretur de condigno, vt si in statu termini culpa debet durare in æternum, ac proinde debet Deo displicere in æternum, etiam pœna sit æterna, ac displiceat peccatori in æternum.

14. Confirmatur primò; nam ordo iustitiæ postulat, vt quantum, & quandiu propter peccata commissa in via peccator est malus in statu termini, tantum, & tandiu sit miser; sed si culpa venialis contracta in via, in inferno durat in æternum, peccator erit malus in æternum; ergo ordo iustitiæ postulat, vt propter culpam venialem æternam puniatur in æternum.

15. Confirmatur secundò; nam est contra ordinem iustitiæ, vt ex duobus, quorum vnus propter peccata commissa in statu viæ, in statu termini erit in æternum malo culpæ peior altero, ac magis Deo displicens, non sit proportionaliter inferior malo pœnæ, ac magis sibi ipsi displicens propter pœnam; sed hoc sequeretur; nam si duo sint æquales in peccatis mortalibus, sed alter habeat etiam venialia, qui habet venialia erit in æternum peior malo culpæ, & magis Deo displicens, & tamen non erit in æternum inferior malo pœnæ, ac sibi ipsi magis displicens propter pœnam; ergo &c.

16. Dices primò; damnati in inferno per peccata odij Dei, blasphemie &c. semper sunt peiores, ac Deo magis displicentes malo culpæ, & tamen non sunt inferiores, ac sibi magis displicentes malo pœnæ; ergo ordo iustitiæ non postulat, vt quantum, & quandiu peccator est malus malo culpæ, tantum, & tandiu sit miser malo pœnæ.

17. Respondeo distinguo consequens; ergo ordo iustitiæ non postulat, vt quantum, quandiu peccator est malus malo culpæ commissa in via, ac proinde meritorie pœnæ, tantum, & tandiu sit miser malo pœnæ; nego; propter peccata commissa in termino, ac proinde non meritoria pœnæ, concedo; & nego consequentiam. Ordo iustitiæ postulat, vt duo sint status, alter temporalis viæ, in quo quis possit mereri, ac demereri de condigno; alter æternus termini, in quo recipiat præmia, & pœnas meritorum, ac non amplius mereatur, vel demereatur; ergo ordo iustitiæ postulat quidem, vt in termino tantum quis sit miser miseria pœnæ, quantum est malus propter peccata commissa in via, ac proinde meritoria pœnæ; at non postulat, vt quantum, quis in termino est malus peccatis commissis in termino, ac proinde non meritoris pœnæ, tantum sit miser; ergo non est mirum, quod per peccata commissa in termino damnati fiant semper peiores, & peiores, & tamen non fiant inferiores, & inferiores per nouam pœnam, cum illa peccata non mereantur pœnam nouæ miserie. Ratio vltior est, quia si status termini esset, status merendi no-

uam miseriam, & pœnam; non esset status termini, sed viæ cuiusdam interminata, ac semper tendentis ad nouam miseriam; quod est contra ordinem prouidentie, & iustitiæ.

18. Dices secundò; dæmones propter peccata, quæ nunc committunt in statu termini, aliquando puniuntur à Deo; ergo etiam peccata commissa in termino merentur pœnam.

19. Respondeo, distinguo antecedens; puniuntur pœna coercitiua, concedo; pœna compensatiua, & reordinatiua culpæ, nego; & distinguo eodem pacto consequens. Alia est pœna coercitiua, qua possunt puniri etiam bruta animalia, vt cum equus, vel asinus coercetur plagis; alia est pœna compensatiua, & reordinatiua culpæ. Dæmones propter peccata, quæ committunt in termino, aliquando puniuntur pœna purè coercitiua, non autem pœna compensatiua, & reordinatiua culpæ. Dum dicimus peccata commissa in termino non mereri pœnam, non loquimur de pœna purè coercitiua, sed de compensatiua, & reordinatiua culpæ.

20. Dicendum secundò; peccata venialia in hac vita non remissa quoad culpam propter coniunctionem cum mortalibus, in inferno durant in æternum quoad culpam, ac proinde puniuntur pœna æterna.

21. Probat; ex dictis enim quæst. 36. & 37. peccatum veniale actuale non solum relinquit reatum pœnæ, hoc est obligationem ad luendam pœnam, sed etiam reatum culpæ, hoc est maculam, & seditatem, propter quam qui peccauit displicet Deo; sed Deus inimico, dum remanet inimicus, nunquam in hac prouidentia remittit culpam, illumque munit à macula, vt cum Sancto Thoma 3. par. quæst. 37. art. 4. docent Theologi; ergo cum damnati sint Deo inimici, nunquam illis remittitur culpa etiam venialis, ac proinde reatus culpæ etiam venialis durat in æternum, & consequenter pœna durat in æternum.

22. Dicendum tertio; si peccatum veniale non relinqueret alium reatum, quam pœnæ, siue obligationem ad pœnam, vt docet Scotus, peccata venialia non remissa in hac vita non punirentur pœna æterna in inferno, sed solum pœna temporali, qua soluta, non remaneret reatus.

23. Probat; nam obligatio ad aliquam pœnam substinendam aufertur, soluta pœna; ergo si ex peccato veniali non relinquitur alius reatus, quam ad substinendam pœnam temporalem, vt docet Scotus, soluta illa pœna, aufertur reatus. Confirmatur, & explicatur: nam si aliquis ex delicto ad nihil aliud obligetur, quàm ad soluenda centum, quomodocunque soluat centum, siue spontè soluat, siue cogatur à iudice per vim exigente centum, liberatur ab obligatione soluendi centum; ergo si ex peccato veniali commissio non remanet alius reatus, quàm obli-

gatio

gatio patiendi p[œ]nam temporalem, si damnatus patitur talem p[œ]nam inflictam à iudice, liberatur à reatu patiendi illam p[œ]nam temporalem.

24. Obijcit Vasquez disp. 141. cap. 2. qui in inferno patitur p[œ]nam temporalem, potest quidem satis pati, hoc est pati totam p[œ]nam, quam meretur, sed non potest satisfacere; satisfactio enim includit quandam rationem meriti, & debet esse accepta, & grata apud Deum: p[œ]na autem damnati nullam habet rationem meriti, nec est accepta, & grata apud Deum; sed ad auferendum reatum p[œ]n[æ] non sufficit satis pati, sed requiritur satisfactio; ergo &c.

25. Respondeo, nego minorem. Si enim non datur alius reatus, quam obligatio substinendi p[œ]nam, eo ipso, quod quis substineat illam p[œ]nam inflictam à iudice, satis patitur, ac proinde liberatur à tali reatu, etiamsi propriè non satisfaciat, eo pacto, quo in humanis qui p[œ]nam inuitus substinet à iudice, licet non satisfaciat, tamen per satisfactionem liberatur à reatu, siue obligatione substinendi p[œ]nam.

26. Ad 1. distingo minorem: peccatum veniale ex se meretur solum p[œ]nam temporalem pro casu, pro quo culpa in termino sit æterna, nego; pro casu, pro quo culpa in termino non sit æterna, concedo; & nego consequentiam. Peccatum veniale ex se meretur p[œ]nam proportionatam culpæ; sed p[œ]na, proportionata culpæ consistit in hoc, ut quantum, & quandiu in statu termini quis est malus, ac Deo displicens propter culpam, tantum, & tandiu sit miser, & sibi ipsi displicens propter p[œ]nam; ergo peccatum veniale meretur puniri p[œ]na solum temporali pro casu, pro quo culpa in termino non sit æterna, & meretur puniri p[œ]na æterna pro casu, pro quo culpa in termino per accidens sit æterna.

27. Dices: vel peccatum veniale meretur p[œ]nam æternam per se, vel per accidens; neutrum dici potest; ergo &c.

28. Respondeo peccatum veniale mereri p[œ]nam æternam, eo pacto, quo est irremissibile quoad culpam; sed quoad culpam est irremissibile, non per se, sed solum per accidens propter connexionem cum mortali, ut fatentur aduersarij; ergo meretur p[œ]nam æternam, non per se, sed solum per accidens propter connexionem cum mortali. Si autem queratur, in quo sensu peccatum veniale dicatur per se remissibile, per accidens irremissibile, per se mereri p[œ]nam temporalem, per accidens æternam? Respondeo peccatum veniale esse remissibile, ac per se mereri p[œ]nam solum temporalem iuxta quartum modum dicendi per se explicatum ab Aristotele 5. metaphysicæ capite 18. text. 23. ubi explicatis tribus prioribus modis, quibus aliquod prædicatum dicitur per se conuenire subiecto, explicat quartum modum, dicens;

Item quæcumque soli, prout soli insunt. Iuxta hunc modum prædicata, quæ conueniunt rei separatæ ab omni alio, præsertim, cui per accidens coniungatur, conueniunt per se prædicata, quæ conueniunt rei, ut per accidens conueniunt cum aliquo alio, conueniunt per accidens. Explicatur exemplo, Morbus, qui paratus ab alio morbo, cui per accidens potest coniungi, est curabilis, & non causat mortem, coniunctus cum alio morbo incurabilis, & causat mortem, dicitur per curabilis, ac non lethalis, per accidens proprie coniunctionem cum alio morbo incurabilis & lethalis; sed peccatum veniale separatæ à mortali, cui per accidens coniungitur, est remissibile, & meretur p[œ]nam solum temporalem, coniunctum cum mortali est irremissibile, & meretur p[œ]nam æternam; ergo peccatum veniale per se est remissibile, & meretur p[œ]nam solum temporalem, ac solum per accidens; & propter coniunctionem cum mortali est irremissibile, & meretur p[œ]nam æternam.

29. Vrgebis: peccatum veniale, si coniungatur cum negatione mortalis, est remissibile, & meretur p[œ]nam solum temporalem; si coniungatur cum peccato mortali, est irremissibile, & meretur p[œ]nam æternam; magis per accidens est peccato veniali coniungi cum negatione peccati mortalis, quam coniungi cum peccato mortali; ergo magis per accidens est peccato veniali esse remissibile, ac mereri p[œ]nam solum temporalem, quam esse irremissibile, ac mereri p[œ]nam æternam. Probat minor: nam magis per accidens peccato veniali coniungi cum eo, ad quod non disponit, quam coniungi cum eo, ad quod disponit; sed peccatum veniale disponit ad mortale, ac non disponit ad negationem peccati mortalis; ergo &c.

30. Respondeo, distingo minorem magis per accidens est peccato veniali coniungi cum negatione peccati mortalis, quam cum peccato mortali, in ordine ad constituendum peccatum veniale per se, & solitariè existens iuxta quartum modum dicendi per se, nego; est magis per accidens in alio sensu, tractato & distinguo eodem pacto consequens maiorem probationis. Non est per accidens peccato veniali in ordine ad constituendum illud per se, & solitariè existens iuxta quartum modum dicendi per se, quod coniungitur cum negatione peccati mortalis, siquidem per hanc ipsam negationem constituitur per se, & solitariè existens; sed illa prædicata conueniunt peccato veniali per se, quæ conueniunt illi ut soli, & ut separato ab alio peccato mortali; illa conueniunt per accidens, quæ conueniunt peccato veniali ut coniunctum cum peccato mortali; ergo remissibilitas, meritum p[œ]næ temporalis conuenit peccato veniali per se; irremissibilitas, & meritum p[œ]næ æternæ, quæ conuenit peccato veniali ut coniuncto cum peccato mortali, con-

nit solum per accidens, iuxta quartum modum dicendi per accidens.

31. Confirmatur primò solutio: nam aduersarij fatentur peccatum veniale per se esse remissibile, per accidens, & propter conjunctionem cum mortali esse irremissibile; sed allato argumento probatur, quod cum peccatum veniale equè per accidens coniungatur cum negatione peccati mortalis, ac cum peccato mortali, equè per accidens esset remissibile, ac irremissibile; ergo etiam aduersarij soluere debent argumentum allatum.

32. Confirmatur secundò; nam morbus, qui separatus ab alio morbo est curabilis, ac non affert mortem, coniunctus cum alio morbo est incurabilis, & affert mortem, licet equè per accidens possit coniungi cum alio morbo, ad quem remotè disponat, dicitur per se curabilis, ac non lethalis, per accidens solum incurabilis, & afferens mortem; ergo à pari, cum sit eadem ratio.

33. Dices: aliqua peccata venialia, puta leuis complacentia de mortali peccato præsentis coniunguntur per se, & essentialiter cum peccato mortali; sed quod meretur pœnam æternam propter connexionem cum altero, cui per se connectitur, per se meretur pœnam æternam; ergo aliqua peccata venialia per se merentur pœnam æternam.

34. Respondeo primò eodem argumento posse probari talia peccata venialia esse per se, ac non solum per accidens irremissibilia; sed hoc negatur ab aduersarijs; ergo etiam aduersarij debent soluere argumentum factum.

35. Respondeo secundò, distinguo maiorem: aliqua peccata venialia per se, & essentialiter connectuntur cum peccato mortali quoad culpam actualem, concedo; quoad habitualement, nego; transmitto minorem; & nego consequentiam. Peccatum veniale, consistens in complacentia leui de peccato mortali vt præsentis, quoad culpam actualem per se coniungitur cum peccato mortali, at quoad culpam habitualement per accidens solum coniungitur cum peccato mortali habituali: potest enim remitti culpa mortalis, & remanere illa culpa venialis habitualis separata ab omni culpa mortali; sed peccatum veniale illam solam pœnam per se meretur, quæ debetur illi, si remaneat habitualiter separatum ab omni peccato mortali; ergo illud peccatum veniale per se meretur solum pœnam temporalem, quandoquidem illi, si remaneat habitualiter separatum ab omni peccato mortali, debetur pœna solum temporalis. Proportionali modo explicatur, quo pacto tale peccatum veniale per se sit remissibile, ac solum per accidens sit irremissibile. Adde peccatum veniale solum remotè disponere ad mortale: dispositio autem remota, per accidens coniungitur cum eo, ad quod disponit.

36. Ad 2. distinguo maiorem: Deus peccatum leue non punit pœna graui grauitate excedente debitam proportionem cum culpa, concedo; grauitate non excedente debitam proportionem cum culpa, nego maiorem; concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens, & antecedens assumptum, ac nego secundam consequentiam. Certum est, quod Deus peccata venialia punit pœnis Purgatorij, quæ ex sua ratione sunt grauissima, cum excedant omnes cruciatus huius vitæ, etiam quos passi sunt martyres, & ipse Christus, vt docent communiter Theologi. Cum ergo dicitur, quod Deus peccata venialia, quæ sunt peccata leuia comparatione mortali, non punit pœna graui, sensus est, quod non punit pœna excedente debitam proportionem cum culpa; sed pœna etiam æterna, qua tantum quis per totam æternitatem sit miser, & sibi displicens, quantum per totam æternitatem est malus, ac displicens Deo propter culpam, non excedit debitam proportionem cum culpa veniali in æternum durante; ergo Deus punit peccatum veniale durans in æternum pœna æterna, per quam peccator tantum est miser, quantum est malus, vt magis explicabitur in responsione ad sextum.

37. Ad 3. & 4. Dupliciter potest intelligi peccatum veniale propter conjunctionem cum mortali, & propter suam perpetuitatem mereri pœnam æternam. Primus sensus est, vt coniunctio cum mortali, & perpetuitas augeant meritum pœnæ; & hoc est falsum. Nam perpetuitas, & coniunctio non sunt formaliter meritoria, ac proinde nec formaliter augent meritum pœnæ. Secundus sensus est, quod perpetuitas, & coniunctio cum mortali purificant conditionem, pro qua peccatum veniale actuale meretur pœnam æternam; & in hoc sensu propositio est vera. Peccatum enim mortale meretur tantum, & tandiu puniri, quantum, & quandiu in termino qui peccauit erit malus; sed coniunctio cum mortali, & perpetuitas faciunt, vt peccator propter peccatum commissum sit malus in æternum; ergo purificant conditionem, sub qua peccatum veniale meretur puniri pœna æterna. Concedo igitur, quod solum peccatum veniale commissum, non autem coniunctio cum mortali, vel perpetuitas culpæ venialis meretur pœnam; sed dico, quod coniunctio cum mortali, & perpetuitas purificant conditionem, pro qua peccatum veniale præteritum meretur pœnam æternam.

38. Ad 5. distinguo maiorem: pœna æterna debetur soli inimico, ac solum propter inimicitiam, nego; & non solum propter inimicitiam, sed etiam propter æternitatem culpæ, concedo maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Pœna æterna debetur soli inimico, sed non solum propter inimicitiam, sed etiam propter æternitatem culpæ, quæ culpa non est æterna, nisi in inimicis

Dei;

Dei; ergo licet qui habet peccatum veniale adiunctum mortali non sit magis inimicus Deo, tamen quia in eo etiam culpa venialis est eterna, meretur penam eternam propter ipsam culpam venialem eternam. Addo, quod licet peccator propter peccatum veniale coniunctum mortali non sit magis inimicus Deo, tamen est magis Deo displicens pro tota eternitate; sed qui in aeternum magis Deo displicet propter culpam, meretur, ut in aeternum sibi ipsi magis displiceat propter penam, & sic ut puniatur poena aeterna; ergo &c.

39. Ad 6. concedo antecedens, & primam consequentiam, & nego antecedens assumptum; ac dico, quod poena aeterna peccatorum venialium, etiam si multiplicetur in infinitum, nunquam adaequabit penam vnius minimi peccati mortalis. Ratio est, quia ideo licet peccata venialia multiplicentur in infinitum, non possunt adaequare vnum quantum minimum peccatum mortale, quia peccatum veniale est inferioris generis, ac peccatum mortale, ac proinde sicut equi licet multiplicentur in infinitum, non possunt adaequare perfectionem hominis, quia sunt inferioris generis, ac homo, sic peccata venialia licet multiplicentur in infinitum, non possunt adaequare vnum minimum peccatum mortale; sed peccatum inferioris generis meretur penam inferioris generis; ergo peccata venialia merentur poenam inferioris generis, ac mortalia, ac proinde poena venialium etiam si multiplicetur, & augeatur in infinitum in suo genere inferiori, non potest adaequare poenam mortalium. Sicut autem licet in inferno culpa venialis sit aequae aeternae, ac mortalis, tamen culpae veniales aeternae non possunt ita multiplicari, & augeri, ut adaequent vnam minimam culpam mortalem, sic poena venialium, licet in inferno sit aequae aeternae, ac poena mortalium, tamen non potest ita augeri, & multiplicari, ut adaequet poenam vnius minimi peccati mortalis. Neque verò est mirum, quod Deus in thesauris suae omnipotentiae, & sapientiae habeat poenas proportionatas cuilibet culpae, & culpis inferioris generis habeat poenas correspondentes inferioris generis. Confirmatur: nam iusta poena peccati est, ut tantum quis doleat, quanta est malitia peccati; ergo si malitia est inferioris generis, iusta poena est, ut doleat dolore inferioris generis, qui proinde etiam si in infinitum augeatur in suo genere, non possit adaequare dolorem generis superioris.

40. Quæri potest, vtrum poena, qua peccatores in inferno propter peccata venialia non remissa puniuntur in aeternum, sit eiusdem rationis, ac speciei cum poena, qua iusti propter aequalia peccata venialia puniuntur in Purgatorio?

41. Respondeo esse diuersae rationis. Ratio est, quia poena, qua peccatores puniuntur in aeternum propter peccata venialia non remissa, est intensiue grauior propter apprehen-

sionem eternitatis; ergo aequitas postulat, ut sit proportionaliter leuior ex alio capite, puta, ut sit minus sensibilis. Illud vniuersimodum potest, quod damnati puniuntur poena quantum intensiue, tum extensiue aequalis sit culpae, ita ut tanta sit intensio poenae, quanta est intensio culpae, tanta duratio poenae, quanta duratio culpae, ac proinde sicut culpa durat in aeternum, sic poena duret in aeternum, ac per hoc habeatur, ut quantum, & quantum peccator in termino est malus, & displicet Deo propter culpam, tantum, & tandem miser, ac displicens sibi ipsi propter poenam Deus porrò per infinitam suam sapientiam qua vniuersa disponit in numero, ponderet mensura, videt, quæ sit poena proportionaliter correspondens vnicuique culpae.

42. Ad 7. nego maiorem. Quodlibet peccatum vniuersi, seu mortale, seu veniale se ipso est tota dignitas poenae: at opus bonum vniuersi non se ipso est tota dignitas poenae, sed formaliter dignificatur per gratiam in ordine ad merendam felicitatem eternam; ergo opus bonum factum sine gratia sanctificata caret dignitate meritoria vitae eternae, ac proinde non est meritorium vitae eternae; & quod non potest dignificari per gratiam deum aduenientem, non potest per gratiam deum aduenientem dignificari ad merendum premium aeternum. E converso peccatum factum in statu gratiae habet totam suam dignitatem meritoriam poenae, per quam dignitatem meretur, ut in termino peccator tantum, & quantum sit miser per poenam, quantum, & quantum erit malus per culpam, ac proinde ut ipsa culpa erit in aeternum malus, per poenam sit in aeternum miser.

43. Ad 8. In argumento proponitur dubium, vtrum in inferno peccata mortalia, venialia remissa quoad culpam, sed non remissa quoad totam poenam, puniantur poena aeterna; quod dubium examinandum est quaestione sequenti.

44. Quæres, vtrum si quis moreretur culpa peccato originali, & cum solis peccatis venialibus, propter venialia puniretur poena aeterna?

45. Respondeo primò ex Sancto Thomae & ex sententia communi theologorum, quod hac prouidentia Deum non permittit huiusmodi casum; siquidem instituit infernum pro decedentibus in peccato mortali personali, limbum pro decedentibus cum solo originali in Purgatorio pro decedentibus cum solis venialibus; quartum locum pro decedentibus cum solo originali, & venialibus non instituit. Secundò dico, quod si casus contingeret, ille in limbo propter originale puniretur poena damni, propter venialia puniretur poena quae aeterna, sed mitissima sensus, inferioris ordinis, ac sit poena, qua damnati in inferno puniuntur propter peccata mortalia. Videri potest circa hanc quaestionem Sancti Thomae in disputatis quaest. 7. de peccato veniali, art. 10. ad 8.

QVAESTIO XXXI.

Virum in Inferno peccata mortalia, & venialia remissa quoad culpam, sed non remissa quoad totam penam temporalem, puniantur pena æterna?

1. **V**idetur peccatum, tum mortale, tum veniale remissum quoad culpam, sed non quoad totam penam, puniri in inferno pena æterna: primo quia in inferno nulla est redemptio, seu liberatio à pena; sed si puniretur pena solum temporali, illa soluta, daretur redemptio, seu liberatio à pena; ergo &c.

2. Secundò damnati, qui sunt in statu perpetuæ inimicitiz cum Deo, merentur etiam hanc penam, vt nunquam possint expectare, vel sperare statum mitiorem pænarum; ergo ratione status merentur, vt etiam pena pro peccatis remissis sit æterna.

3. Tertiò, vt arguit Suarius de Pænitentia, disputatione 37. sect. 2. Deus peccata punit ad hunc finem, vt qui voluntariè peccando, dehonoraui Deum, voluntariè penam acceptando, referat illam in honorem Dei, & sic peccatum voluntate commissum, compensetur pena voluntariè acceptata; ergo ad hoc, vt quis sustinendo penam, liberetur à reatu, siue obligatione penam sustinendi, requiritur, vt penam voluntariè acceptet, & referat in honorem Dei; sed damnati nullam penam voluntariè acceptant, neque referunt ad honorem Dei; ergo damnati sustinendo penam, non liberantur à reatu, siue obligatione sustinendi penam, ac proindè quilibet pena, qua puniuntur, debet esse æterna.

4. Quartò, vt arguit Vasquez 1. 2. disputatione 171. cap. 2. vt quis patiendo penam, liberetur ab eius reatu, non sufficit, vt penam patiat, sed requiritur, vt patiendo satisfaciatur Deo iudici; sed damnati cum patiantur penam impatienter, & iudicem blasphemando, non satisfaciunt Deo iudici, qui talem modum patiendi non acceptat; ergo non liberantur à reatu penæ.

5. Quintò qui in hac vita penas inflictas à Deo sustinent impatienter, ac Deum blasphemando, non satisfaciunt Deo iudici, nec liberantur à reatu penæ; ergo &c.

6. Sextò idè qui patitur penam inflictam à iudice humano, etiamsi illam sustineat impatienter, liberatur à reatu penæ, quia iudex humanus puniendo non intendit, vt sibi satisfaciatur, sed vt cæteri terreatur: hoc autem obtinet per penam etiam impatienter toleratam ab eo, qui punitur; sed De-

us damnatos punit non solum ad terrorem aliorum, sed vt satisfiat ipsi Deo; ergo cum Deo non satisfiat per penam impatienter toleratam, damnati patiendo penam, nunquam ab eius reatu liberantur.

7. Respondeo duas esse sententias. Prima Suarez de Pænitentia disputatione 37. sect. 2. Vasquez 1. 2. disput. 140. capite 2. Cardinalis de Lugo de Pænitentia disput. 10. sectione 2. & aliorum docet non solum peccata venialia non remissa quoad culpam, sed etiam peccata mortalia, & venialia in hac vita remissa quoad culpam, sed non quoad totam penam temporalem; in inferno ratione status, in quo nulla debet esse redemptio nullum refrigerium, puniri pena æterna.

8. Secunda Durandi in 4. distinct. 1. quæst. 2. docet, quod licet peccata venialia non remissa quoad culpam in inferno puniantur pena æterna, peccata tamen tum mortalia, tum venialia remissa quoad culpam, sed non remissa quoad totam penam temporalem, puniuntur pena solum temporali, qua soluta, liberantur ab omni reatu, & obligatione luendi penam vltiorem. Hanc sententiam satis expressè docuit S. Thomas in 4. dist. 22. quæstione 1. artic. 1. ad 5. dicens. *Dicendum, quod pro illa parte pena, que dimissa est in confessione, vel in contritione, nunquam punietur, sed pro residua, in æternum tamen vt quidam dicunt, quia ratione fori, in quo puniuntur, æterna pena debetur, sicut est in venialibus, que in purgatorio puniuntur pena temporali, & in inferno æterna. Sed non videtur hoc simile, quia veniale idè in inferno æternaliter punitur, quia semper manet, cum non sit ibi aliquid, quod penam delere possit; sed pena ex hoc ipso, quod soluitur, expiatur. Ideo alij dicunt, quod pena, cuius est aliquis debitor post culpam remissam, in inferno punitur temporaliter, nec propter hoc sequitur, quod sit in inferno redemptio, quia pena, que soluitur, non redimitur. Nec est inconueniens, quod quantum ad aliquod accidentale pena inferni minuatur vsque ad diem iudicij, sicut etiam augetur. Hæc S. Thomas.*

9. Dicendum cum secunda sententia: peccata mortalia, & venialia remissa quoad culpam, sed non quoad totam penam temporalem, in inferno puniuntur pena solum temporali, qua soluta, cessat reatus, & obligatio ad penam soluendam.

10. Probatum primo de peccato veniali. Peccatum enim veniale meretur quidem, vt si culpa per accidens sit æterna, etiam pena per accidens sit æterna: at non meretur, vt si culpa neque per se, neque per accidens sit æterna, pena sit æterna; sed Deus non punit venialia pena, quam non merentur; ergo Deus venialia remissa, ac proindè non æterna quoad culpam, non punit pena æterna. Probatum maior: nam peccatum veniale meretur puniri pena proportionata culpæ, at non meretur puniri pena improporcionata, & excedente culpam; sed pena æterna est

T

qui-

quidem proportionata culpæ veniali per accidens æternæ, sed est inproportionata culpæ veniali, quæ neque per se, neque per accidens sit æterna; ergo.

11. Confirmatur primò: nam sicut ordo iustitiæ postulat, vt si peccator in inferno in æternum sit malus, ac displicens Deo propter culpam venialem non remissam, in æternum etiam sit proportionaliter miser, & sibi ipsi displicens propter pœnam, sic postulat, vt si in æternum non sit malus, ac displicens Deo propter culpam, vtpotè iam remissam, non sit in æternum miser, ac displicens sibi ipsi propter pœnam; ergo est contra ordinem iustitiæ, vt peccatum veniale non remissum puniatur pœna æterna in inferno.

12. Confirmatur secundò: nam sicut est contra ordinem iustitiæ, vt qui per totam æternitatem est peior, & magis displicens Deo propter culpam, non sit per totam æternitatem inferior, & magis displicens sibi ipsi propter pœnam, sic est contra ordinem iustitiæ, vt qui in æternum non est peior, neque magis displicens Deo propter culpam vtpotè iam remissam, sit in æternum inferior, & magis displicens sibi ipsi propter pœnam; sed hoc sequeretur; nam ex duobus æqualibus quoad culpas, vnus, cui cum culpis remissis non remissa fuisset tota pœna, esset in æternum inferior altero, cui cum culpis remissis remissa fuisset etiã tota pœna; ergo &c.

13. Dices: non est contra iustitiam, vt aliquis puniatur temporaliter propter culpam venialem iam remissam, ac proindè vt dum non est amplius malus, ac displicens Deo propter culpam, sit miser, ac displicens sibi ipsi propter pœnam; ergo neque est contra iustitiam, vt aliquis puniatur in æternum propter culpam venialem iam remissam, adeoque, vt licet in æternum non sit malus malo culpæ, sit in æternum miser malo pœnæ.

14. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Peccatum veniale meretur duplicem pœnam, alteram temporalem, quam meretur per se, alteram æternam, quam meretur per accidens sub conditione accidentali. Meretur per se, vt quantum quis per peccatum actuale, cum fuit commissum, displicuit Deo, tantum per pœnam displiceat sibi ipsi etiam post remissam culpam; & hæc pœna, quam meretur per se, est purè temporalis, ac per illam debet esse temporaliter miser, ac displicens sibi ipsi propter pœnam, etiam cum non est amplius culpa. Meretur per accidens, vt si propter culpam per accidens in æternum sit malus, & displicens Deo, in æternum sit miser, & displicens sibi ipsi propter pœnam; & hæc pœna non potest esse æterna, si culpa non sit æterna, ac proindè est contra ordinem iustitiæ, vt qui non est in æternum malus per culpam, sit in æternum miser per pœnam.

15. Probatum iam, quod etiam peccata

mortalia remissa quoad culpam, sed non quoad totam pœnam temporalem, non possunt in inferno puniri pœna æterna. Peccatum enim mortale meretur quidem per se, vt culpa, & pœna sit æterna, sed neque per se, neque per accidens meretur, vt si dimissa fuerit simpliciter, & absolute tum culpam tum pœna æterna, puniatur pœna æterna; ergo si Deus post remissam culpam, & pœnam æternam, puniret peccatum mortale pœna æterna, puniret illud pœna, quam non meretur, & sic faceret contra iustitiam.

16. Confirmatur: nam est contra ordinem iustitiæ, vt quis in æternum sit inferior per pœnam, quam malus per culpam; vt qui non est in æternum peior propter culpam, sit in æternum inferior propter pœnam; sed hæc sequeretur; ergo &c.

17. Dices: esset inferior, quam sit malus, sed non esset inferior, quam fuerit malus per peccatum mortale commissum.

18. Sed contra, nam pœna miseriæ æternæ æqualis peccato præterito iam fuit remissa simul cum culpa; ergo non potest atropius peccator puniri illa pœna miseriæ æternæ quæ fuit remissa; sed hoc posito, est contra ordinem iustitiæ, vt sit inferior propter pœnam, quam est malus propter culpam; ergo &c.

19. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem. Redemptio pœnæ consistit in hoc, vt quis pretio, precibus, intercessionibus vel aliâ ratione obtineat, vt non luat pœnam, vel saltem luat pœnam minorem, quam debet; sed in inferno nemo potest obtinere, vt non luat totam pœnam, quam debet; ergo non est redemptio. Neque enim redimitur se à pœna, qui soluit totam pœnam, quam debet, illaque soluta, non obligatur ad luendam pœnam, quam non debet.

20. Dices: in inferno non solum nullum est refrigerium, sed etiam nullum est refrigerium, ac nulla mitigatio pœnarum, ideoque Luc. 16. diues ille non potuit obtinere guttam aquæ ad refrigerandam linguam; sed si peccatorum remissionem quoad culpam non esset æterna, soluta tali pœna, daretur refrigerium, & magna mitigatio pœnarum; ergo &c.

21. Respondeo primo, quod in inferno nullum erit refrigerium, & nulla mitigatio pœnarum debitarum, sed damnati cogentur soluere totam pœnam debitam, ideoque diues ille non obtinuit guttam aquæ ad refrigerandam linguam; & sic mitigandam pœnam debitam. Secundò dico, quod nullum est refrigerium, ac nulla mitigatio pœnarum in ultimo termino, hoc est post diem iudicii. Licet enim ante diem iudicii sit futura aliqua mutatio pœnarum accidentalium, ita vt pœnæ accidentales possint augeri, vel minui, tamen post diem iudicii per totam æternitatem nulla amplius erit mutatio, ac proindè nullum omninò refrigerium, nulla mitigatio

fito vllius pænæ, sed damnati punientur etiam immutabilitate pænæ, tanquam vltimo complemento pænarum. Ideo Apocalypsis 10. Angelus iurat, quia tempus non erit amplius, quia nimirum post diem iudicij non erit amplius mutatio. Tertio dici potest, quod etiam ante diem iudicij in inferno nullum erit refrigerium, nulla mitigatio pænarum. Ratio est, quia licet Deus damnatos propter peccata remissa quoad culpam, sed non quoad totam pænam, puniturus sit pæna temporali, tamen ita attemperabit intensiorem pænæ debitæ, vt ad satisfaciendum pæna illa in vnoquoque durare debeat vsque ad diem iudicij, & tunc sit cessatura. Porro in die iudicij pæna non mitigabitur, sed augebitur tum in hominibus, tum in dæmonibus. Ratio est, quia pæna non mitigatur, sed augebitur, cum loco vnius pænæ, quæ cessat, succedit pæna maior; sed in die iudicij, tum in hominibus, tum in dæmonibus loco pænæ, quæ cessabit, succedet pæna maior; ergo &c. Probatur minor: nam in hominibus succedet pæna corporum, & pæna apprehensionis, ac memoriæ summæ confusionis, quam passi erunt in die iudicij; in dæmonibus succedet pæna aeterna alligationis, & immobilitatis in inferno, quam pænam ante diem iudicij non patientur.

22. Ad 2. respondeo primo damnatos mereri hanc pænam, vt nunquam possint expectare statum mitiorem pænarum substantialium, licet possint expectare statum mitiorem accidentalium, quæ ante diem iudicij possunt augeri, vel minui. Secundo dico damnatos mereri hanc pænam, vt in vltimo termino, hoc est post diem iudicij nunquam possint expectare statum mitiorem vllarum pænarum, siquidem punientur aeterna pænarum immutabilitate. Tertio dico, quod merentur hanc pænam, vt etiam ante diem iudicij non possint expectare statum mitiorem pænarum, siquidem pæna temporalis, & accidentalis durare debet vsque ad diem iudicij, post diem autem iudicij cessabit quidem, sed succedente pæna grauiori. Adde Deum ante vltimum terminum, hoc est ante diem iudicij, punire damnatos citrà condignum; in vltimo termino, hoc est post diem iudicij punire pæna æquali, vel saltem minus citrà condignum, quam ante diem iudicij.

23. Ad 3. distingo antecedens; Deus peccata pæna emandatiua, & purgatiua punit ad hunc finem, vt qui voluntariè peccando, dehonoraui Deum, voluntariè acceptando pænâ, referat illâ ad honorem Dei, concedo; pæna exterminatiua, nego; & distingo consequens; ergo ad hoc, vt quis sustinendo pænam, liberetur à reatu per satisfactionem, requiritur, vt voluntariè pænam acceptet, concedo; vt liberetur per purâ satisfationem, nego; & distingo eodem pacto secundum consequens. Deus pænam emen datiuâ, & correctiuâ punit ad hoc, vt

qui voluntariè peccando, dehonoraui Deum, voluntariè acceptando pænam, honoret Deum, adeoque ad hoc, vt quis sustinendo talem pænam liberetur à reatu per satisfactionem, requiritur, vt voluntariè pænam acceptet; at pæna exterminatiua punit ad hoc, vt qui voluntariè dehonoraui Deum, & fuit malus, pænam patiatur contrâ suam voluntatem, & sit miser, ac sic culpa compensetur pæna proportionata; sed vt ponatur talis compensatio, non requiritur, vt pæna voluntariè acceptetur, imò potius requiritur, vt infligatur inuito; ergo per hoc, quod quis passus fuerit inuito totam pænam debitam, potest liberari à reatu pænæ, non quidem per satisfactionem, sed per puram satisfationem.

24. Ad 4. distingo maiorem; vt quis patiundo pænam, liberetur ab eius reatu, non sufficit, vt pænam patiat, sed requiritur, vt actiuè satisfaciatur Deo iudici, nego; vt actiuè, vel passiuè satisfaciatur Deo iudici, concedo; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dupliciter potest intelligi, quod aliquis satisfaciatur iudici; primo actiuè, hoc est voluntariè dando iudici satisfactionem, quæ ab ipso acceptetur, & approbetur; secundo purè passiuè, patiundo pænam, quam iudex infligit vt æqualem reatui. Damnati, qui impatienter, & blasphemantes patiuntur pænam, non satisfaciunt actiuè Deo, siquidem non dant voluntariè Deo satisfactionem, sed satisfaciunt purè passiuè, in quantum patiuntur pænam, quam Deus infligit vt æqualem reatui. Hanc satisfactionem passiuâ, quam Deus ipse sibi sumit, infligendo pænam vt æqualem reatui, Deus non potest non acceptare vt æqualem reatui, adeoque cū adæquatè est posita, sufficit ad auferendū reatum.

25. Ad 5. concedo antecedens, & nego consequentiam. Deus mala vitæ præsentis non infligit peccatoribus, vt per illa sumat sibi satisfactionem de peccatis commissis, sed illa infligit tum peccatoribus, tum iustis, vt iis vtantur ad merendum, ad satisfaciendum, & ad alios fines, ideoque qui impatienter patiuntur tales miseras, non satisfaciunt actiuè, quia non voluntariè illas patiuntur, neque satisfaciunt passiuè, quia Deus mala huius vitæ non infligit, vt per illa sumat sibi satisfactionem. At in inferno pænas pro peccatis remissis Deus infligit purè ad hoc, vt sibi sumat satisfactionem pro ipsis, adeoque non potest illas non acceptare, & qui patitur quantum satis est, satisfaciunt passiuè, seu satisfaciuntur, & liberatur à reatu pænæ.

26. Ad 6. sicut iudex nomine Reipublicæ punit reum, vt Respublica sumat satisfactionem æqualem, per quam reus satisfaciatur purè passiuè, ideoque reus passiuè satisfaciatur, etiâ si inuoluntariè patiat pænam; sic Deus punit damnatos pro peccatis, vt sibi sumat satisfactionem æqualem, ideoque damnati passiuè satisfaciuntur, etiâ si impatienter, & inuito patiantur pænam.